Pamph.
Gk. lang.
Gram.
K.

QUAE FUERIT ANTE SOCRATEM VOCABULI APETH NOTIO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

KONRADUS KOCH

BRUNSVICENSIS

LIBRARY
JAN 25 1902
UNIVERSITY OF TORONTO

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCM

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

Jena, den 5. Mai 1900.

Hofrath Prof. Dr. **Winkelmann,**
d. Z. Decan.

Argumentum.

p.

Caput primum: De vocabulis moralibus et variis vocis ἀρετὴ significationibus 2

Caput alterum: Vocabuli ἀρετὴ notio epica 13

Caput tertium: Vocabuli ἀρετὴ notio politica et vulgaris . . . 30

Caput quartum: Vocabuli ἀρετὴ notio philosopha 52

Index nominum 65

In notionem vocabuli ἀρετὴ curiosius inquirere ob eam causam mihi proposui, quod quo accuratius hoc vocabulum quid sibi velit, perspicere nobis contigerit, eo melius, quid sibi velint praecepta Graecorum moralia, intellegi posse mihi videtur. Haud enim scio an nullius vocis notio in cognoscenda Graecorum de officiis doctrina maioris sit momenti. Itaque mirum est, quod huius vocis usum plurimi viri docti neglexerunt, quamquam de praestantiae notione egerunt cum ei, qui de singulorum poetarum reliquorumque scriptorum sententiis disputaverunt, et qui omnem Graecae philosophiam enarraverunt, tum ei, qui partem philosophiae quam Cicero dicit moralem tractaverunt [1]). Quam ob causam de ea re complures viri doctissimi quid sentirent nuperrime satis diserte exposuerunt. Sed cum ei minus commutationum sententiarum moralium et notionis ἀρετῆς rationem haberent neque, quod sciam, post L. Schmidtium (l. c. p. 295 sq.) copiose quisquam eas tractaverit, id potissimum exponere mihi proposui, quae fuerit ante Socratem nominis ἀρετὴ notio. Ita autem res instituenda esse mihi videtur, ut ab antiquissimis temporibus initium capiam et ordinem temporum servem. Antequam ad poetas epicos accedam, quorum carmina quasi fontes Graeci sermonis sunt, pauca cum de aliis vocabulis, quae ad mores hominum pertinent, tum de variis vocis ἀρετὴ significationibus praefari liceat. Neque enim omnibus temporibus easdem virtutes Graeci maximi aestimaverunt. Ac quo melius exponere possim, ad quasnam virtutes Graeci veteres illam praestantiam, quam notionem proprie voci ἀρετὴ subiectam fuisse apparet, in imagine absoluti et perfecti viri delineanda rettulerint, de notionibus aliarum similium vocum

1) Th. Ziegler, Geschichte der Ethik I. Die Ethik der alten Griechen und Römer. Bonn 1881. — L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen. Berlin 1882. — K. Köstlin, Die Ethik des klassischen Altertums. I. Die griechische Ethik bis Plato. Tübingen 1887.

et vocis ἀρετὴ ipsius accuratius agendum est. Atque ut mores Graecorum per saecula commutabantur, ita notionem huius vocabuli paullatim commutatam esse quis est, qui miretur? Tres autem potissimum notiones in his, de quibus agitur, temporibus distingui posse equidem puto: epicam, politicam seu vulgarem, philosopham. Ac primam quidem, ut quae inveniatur in Homeri carminibus, quem Pindarus et Sophocles sequuntur, epicam meo iure me dicere posse puto; atque hanc ad excellentem et corporis et animi indolem spectare apparet. Altera, quam politicam nominare mihi liceat, in poetarum elegiacorum et sophistarum praeceptis moralibus inesse dico; haec quidem ad eam facultatem spectat, quam et sophistae et illi poetae maxime admirabantur, qua homines in re publica ad summos honores ascendere solebant. Idem fere sentiebat vulgus, quamquam ad eius notionem formandam aliquid contulisse putaverim epicam et philosopham. Denique exponendum erit, quae notio fuerit philosophorum, qui ante Socratem floruerunt, et qua ratione ei differant a ceteris; apud eos vocem ἀρετὴ ad recte vivendum vel, ut ita dicam, ad vitam honestam spectasse existimo; ac notio quae nobis subiecta est voci, ab eis originem duxisse mihi videtur.

Caput primum.

De vocabulis moralibus et variis vocis ἀρετὴ significationibus.

Quo facilius cognoscamus, quomodo factum sit, ut ad honestatem a philosophis vox ἀρετὴ posset referri, quamquam proprie longe aliam vim habebat, non solum ipsius vim genuinam et varias significationes respici, sed etiam ceterorum moralium vocabulorum notiones, quas similiter mutatas esse apparet, inter se comparari opus esse puto. De eis quoniam L. Schmidt (l. c. I p. 168 sq., 289 sq.) copiose egit pauca hoc loco dicere satis habeo.

L. Doederlein (Hom. Gloss. I. Erlangen 1850 p. 93) iudicat plurimis vocabulis, quae boni notionem habent, ut adiectivis βελτίων, λωίων, ἀγαθός, proprie inesse quandam cupiendi et amandi vim, mihi autem etiam aliis fundamentis significatio verborum moralium niti videtur. Ac primum quidem ex ipsis vocabulis apparet eas res, quae inter alias excellunt, primo pretiosas, postea bonas et honestas visas esse; in eorum numero vocem ἀρετὴ quoque habendam esse

mihi persuasi [1]). Originem enim ducere mihi videtur a radice *ἀρι-*, qua saepissime in vocabulis compositis praestantia quaedam indicatur, quaeque inest in vocabulis *ἀρείων* et *ἄριστος;* proprie igitur significatur nomine *ἀρετὴ* excellentia. Ita factum est, ut ad res maxime varias haec vox spectare posset. Quam vocabuli vim Graecos sensisse cognoscitur ex nonnullis locis, ubi notio *τοῦ ἔξοχον εἶναι* respondet illi substantivo, exempli gratia apud Homerum σ 205

πόσιος ποθέουσα φίλοιο
παντοίην ἀρετήν, ἐπεὶ ἔξοχος ἦεν Ἀχαιῶν

et apud Pindarum Ne. III 69 *ὧν τις ἐξοχώτερος γένηται* f. v. 71 *ἑλᾷ δὲ καὶ τέσσαρας ἀρετὰς* (quarta est virtus . .). Accedit quod in carminibus Homericis vox *ἔξοχος* eodem modo usurpatur quo *ἀγαθός* (cf. Ebeling, lex. hom. Lips. 1874). Ab eadem radice *ἀρι-* derivandum est verbum *ἀρέσκω*, unde intellegitur ea, quae inter alia excellunt, hominibus placere et admirationi esse. Itaque comparativi *ἀρείων* et *ἀμείνων*, quos saepe confundi docet A. Nauck (Tragic. Graec. fragm. I² p. 815), eo potissimum differunt (cf. Doederlein l. c. I p. 93), quod hoc magis placendi, illo excellendi notio continetur. Vocabulum autem *ἀγαθός*, cuius vim ita cum vi vocis *ἀρετὴ* cohaerere apparet, ut eum significet, qui admirationem habet itaque inter alios excellit, simul cum illo substantivo significationem mutavit. Similiter adiectivum *χαρίεις* primo sonat splendidum, postea habet placendi vim, denique moralem significationem accepit ut apud Aristotelem Eth. Nic. IV 14. 1128a 32 *ὁ χαρίεις καὶ ἐλευθέριος*, cf. ibid. I 2. 1095a 25sq.

Deinde mores significari notum est vocabulis, quae proprie ad fortunam secundam vel adversam respiciunt, ut *κακότης*[2]), *πονηρία*,

---

1) cf. G. Curtius, De nomine Homeri. Kiel 1855. p. 11. — Grundzüge der griech. Etymologie⁵. Lips. 1897. p. 71. — L. Doederlein, Hom. Gloss. II. p. 81. — A. Vaniçek, Griech.-latein. etymolog. Wörterbuch. Lips. 1877. p. 46 sq. — W. Prellwitz, Etymolog. Wörterbuch d. griech. Sprache. Göttingen 1892. p. 30.

2) Reliqua nomina, quae ab adiectivo *κακός* derivantur, dico *κακία* et *κάκη*, ne proprie quidem ad fortunam, sed ad animum referri et Attica esse videntur; vocabulum *κακία* usitatum factum esse constat; Platonem verbum *κάκη* adamasse admonet Stallbaum ad Phaedr. 273 C. Nomen *κακότης*, quo Gorgias in Palam. et Democritus fr. 198 inhonestos mores significant, ne Plato quidem adhibet, praeterquam ubi Hesiodi verba (Opp. 287 sq.) affert, quamvis adamaverit substantiva in *ότης* exeuntia (cf. Lehrs, Arist.² p. 261 et p. 260 adn. 3). Ceterum forma *δικαιότης* praeter Platonem (Prot. 331 B, Prot. 508 A) Xenophon utitur (Sturz in lex. Xen. affert locos II 8, 8, 7; A 2, 6, 13; K 1, 1) unde Platonem eam non certo quodam consilio adhiberi colligi potest; qua de re cf. Sauppium ad Platonis Protag. p. 331 B.

δειλός, μοχθηρός, fortasse ἐλευθέριος. Atque ex horum verborum usu perspici potest Graecis ea, quae utilia habebantur, honesta visa esse, qua sententia Socratem ipsum in praeceptis moralibus usum esse constat. Quodsi idem vir sapiens iudicabat honestatem in scientia positam esse, vulgare hoc iudicium esse e vocabulorum usu cognoscimus. Nam primum et verba, quae proprie ad utilitatem referuntur, moralem vim interdum habent et vocabula, quae postea in hunc sensum usurpantur, ad utilitatem spectant. Exempli causa Heraclitus fr. 114 (Byw.) adiectivo ὀνήιστος utitur, ut optimum significet, et saepe vox χρηστός ad mores respicit, cum altera ex parte verba ἄριστος et ἐσθλὸς praecipue ab Hesiodo ad utilitatem referantur. Praeterea nonnulla vocabula primo de ingenio dicuntur, postea moralem vim habent, ut σοφία, σοφός, σωφροσύνη, σώφρων. Harum virtutum nomina iam apud Homerum leguntur, raro quidem, sed nondum eam vim quam in philosophorum sermone habent. Constat enim illo verbo σοφία proprie non dici sapientiam, sed artem vel artificium; O 412 de fabri artificio, hymn. Merc. 483 et 511 de arte musica usurpatur; atque adiectivo σοφός, quod quidem in Homericis carminibus non reperitur, hominem sollertem et peritum notari satis constat. Pariter σωφροσύνη proprie non moderationem et temperantiam sonat, sed sanum mentis statum i. e. prudentiam, cf. ψ 13 et 30, ubi Eurycleam stultam vocans Penelopa deos posse dicit

ἄφρονα ποιῆσαι καὶ ἐπίφρονά περ μάλ' ἐόντα,
καί τε χαλιφρονέοντα σαοφροσύνης ἐπέβησαν.

(mente privare quamvis mente praeditum, et amentem reddunt mentis compotem), quo loco certe ad mores non refertur σαοφροσύνη, sed eandem vim habet quam vox ἐπιφροσύνη; atque adiectivo σαόφρων mentis compos significatur, cf. δ 158 et Φ 462, ut idem sonet quod ἐπίφρων et ἐχέφρων. Substantivum σωφροσύνη apud Hesiodum et lyricos non legitur, sed adiectivum σώφρων magis magisque ad mores referri videmus pariter atque alia vocabula, quibus intellectus significatur, εὐγνώμων, μάταιος, ἄβουλος, ἀβουλία (cf. Schmidt l. c. p. 363 sq.). Contrarium substantivo σωφροσύνη est nomen ὕβρις, quod moralem fere vim paulatim accipere notum est (cf. K. Lehrs, Populäre Aufsätze z. Ethik u. Religion d. Griechen[2] Lips. 1875 p. 52 sq.); saepe autem illud σώφρων ad intellectum refertur ut Theogn. 483 τὸ πρὶν ἐὼν σώφρων, τότε νήπιος; Democr. fr. mor. 205 (Nat.) γήραος δὲ σωφροσύνη ἄνθος; ibid. 31 οἱ ἀξύνετοι δυστυχέοντες σωφρονέουσιν; propterea apud Pindarum Py. III 63 verbis σώφρων Χείρων minus is homo significari mihi videtur „qui

nihil immodici tentaverit“ (Boeckh), quam vir sapiens. cf. Hipponactis fr. 42 ed. Hiller. (45 ed. Bergk.)[1]): *Μύσων . . . . σωφρονέστατος πάντων.* Itaque e vulgari sententia Plato in dialogo, qui Protagoras inscribitur, recte exponit (p. 332 A sq.) idem valere *σοφίαν* et *σωφροσύνην.*

Inter ea vocabula, quae ad mores a philosophis referuntur, reliqua virtutum primariarum nomina sunt. Haec quomodo antea usurpentur, paucis monere liceat; nomina dico *ἀνδρεία, δικαιοσύνη, ὁσιότης.* Vox *ἀνδρεία* apud Homerum non legitur, sed *ἠνορέη;* haec non fortitudinem significat, ut dicit Ebeling, sed ex iis rebus, quae viri sunt, praecipue robur. Nam quin Homerus ad corporis naturam magis quam ad animi spectet, quis est quin dubitet? *Λ* 9 *ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν* (robori confisi et viribus manuum). Pindarum quoque ita vocabulo *ἀνορέα* uti pro certo habeo, quamquam et alii et Bippart (Pindars Leben, Weltanschauung u. Kunst, Jena 1848. p. 62) ad animum referre non dubitant. Cum vocabulum *ἀνδρεία* pariter atque cetera virtutum primariarum nomina ante Platonem omnino rarissime legatur, non plane accurate iudicat Dindorf (Lex. Soph.) rarum esse verbum in poesi scenica; in Sophoclis fabulis nullo loco nisi El. 983 adhibetur, quo loco de puellis usurpatur, scilicet de Electra et Chrysothemi, ibique eo verbo indicat Electra sibi agendum esse tamquam si viri essent, cum eum virum, cuius erat patrem ulscisci, sc. Orestem, mortuum credat; quare soror feminam eam esse admonet (v. 997 *γυνὴ μὲν οὐδ' ἀνὴρ ἔφυς*). Sophoclem multorum verborum propria potius vi uti quam ea, quae aetate eius usitata erat, significatione O. Mueller (Gr. Litt.[2] II p. 140) admonet. Democritus ad honestatem refert vocabulum *ἀνδρηίη* cf. fr. mor. 44; 63; 127 (Nat.), cum adiectivum *ἀνδρεῖος* proprie dictum id significet, quod hominum est, apud Empedoclem v. 451 St. *ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι . . . εὖνιες ἀνδρείων ἀχέων* (eodem cum ceteris immortalibus foco usi . . . liberi ab humanis maeroribus)[2]).

---

1) Ubi Anthologiae lyricae locum affero, numerus prior notat Hilleri et Crusii editionem (Lips. 1897), alter qui uncis inclusus est, Bergkii tertiam (Lips. 1883).

2) Itaque recte Aesch. fr. 124 (Nauck) *ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ.* — Neque recte H. Schmidt (Griech. Synonymik II. Lips. 1878. p. 388) dicere videtur adiectivum *ἀνδρεῖος* tantum ad virtutes virorum, praecipue ad fortitudinem, pertinere, alterum autem quod apud Homerum exstat, *ἀνδρόμεος* omnino ad res humanas; immo eandem vim, quam huic vocabulo tribuit, illi inesse ex Empedoclis et Aeschyli locis apparet. De nomine *ἀνδροσύνη* cf. A. Lobeck, Prolegomena. Lips. 1843. p. 237.

Sequitur ut de vocabulo δικαιοσύνη pauca disputemus. Atticum verbum esse confido, cum excepto uno loco Thucydideo (III 63, 4) ante Isocratem et Socraticos non legatur, versum autem Theognideum 147 hanc ob causam recentem habendum esse postea commemorabimus. Ortum est illud substantivum ex adiectivo δίκαιος, cum δίκην, substantivum vetus, non sufficere sentirent Attici ad iustitiam significandam, quamquam nonnullis locis hunc quoque sensum accipit, ut Democr. fr. 46 et 148. Inde apparet huic philosopho vocabulum δικαιοσύνη notum non fuisse. Vox δίκη apud Homerum morem seu consuetudinem significat, quae vis ex eo cognoscitur, quod ducendum est (cf. Curtius, Griech. Etymol.) a stirpe δικ-, quae inest in verbo δείκνυμι (cf. nostrum weisen-Weise); τ 43 αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν (haec est deorum consuetudo); quoniam igitur proprie ii mores vocabulo δίκη dicuntur, qui spectantur ab aliis hominibus, facile ut ii significarentur fieri poterat, qui exhibentur adversus alios homines; ita factum est, ut, ubi homines consueverunt alter alteri parcere, paulatim moralem i. e. honestum sensum amplecteretur δίκη, cum crederetur hunc communem morem sequi omnes decere; δίκαιοι, qui hoc faciebant, appellabantur. Ita ξ 120 (cf. ν 211) Ulixes in Phaeacum insula somno excussus

ἦ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,
ἦε φιλόξεινοι καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής;

(Utrum huius terrae incolae nefarii et feri neque iusti an hospitum amantes et pii erga deos?) [1]) Haec iuris initia scilicet mutui commodi causa et orta et semper hominibus commendata sunt, atque Hesiodus (Opp. 349 sq. quos versus damnavit Plutarchus) suadet, omnibus ut finitimum quisque iuvet iusteque tractet; sic enim fore dicit, ut idem ipsis faciat finitimus. Apertum est autem nulla re magis valuisse hanc consuetudinem quam si a deis instituta ideoque sancta habebatur; idque eo facilius fieri poterat, quod omnia a deis inventa esse Graeci antiqui putabant. Propterea iam apud Homerum notio iusti cohaeret cum deorum numine, id quod iis quoque, quae modo attulimus, verbis affirmatur. Similiter hospites propterea saepe verendos (αἰδοίους) dicit, quod dii eos tueantur.

Eodem modo, quo illud δίκη, substantivum ὁσίη usurpatur, quod rarum est verbum in Homeri et Pindari carminibus neque legitur apud Hesiodum aliosque, quos in hac disputatione tractamus; ab eo

1) cf. C. F. v. Nägelsbach, Homer. Theologie.[3] ed. G. Autenrieth. Nürnberg 1884. p. 213. — E. Ramdohr, Zur homer. Ethik. II. Progr. Lueneburg 1867. p. 2.

adiectivum ὅσιος derivatum esse fortasse propterea suspicari licet, quod substantivum legitur apud Homerum et Pindarum, adiectivum non legitur; pariter adiectiva δικαιόσυνος et εὐφρόσυνος a substantivis δικαιοσύνη et εὐφροσύνη derivata sunt (cf. Lobeck, Prolegomena p. 234). Inde verbum ὁσιότης recenti aetate ortum est, cum apud lyricos et scenicos non legatur.

Restat ut de substantivo αἰδὼς agamus; hac voce proprie significatur pudor, quo affectus aliquis in facienda aliqua re alios respicit, ita ut sensus quodammodo activus sit. Aliis autem locis potius significatio ut ita dicam passiva agnoscenda esse mihi videtur, quae ipsa quoque propria est; significatur enim, quomodo aliquis ab aliis respiciatur. Haec altera significatio usurpatur ab Homero Θ 172 τερπόμενοι λεύσσουσιν — ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει — αἰδοῖ μειλιχίῃ, ubi Nitzsch interpretatur voce venerationis, cui assentitur G. Hermann (praef. ad hom. hymn. p. XVI) nam Homericum illum versum componit cum Hes. th. 92 θεὸν ὣς ἱλάσκονται αἰδοῖ μειλιχίῃ; apud Pindarum legitur Ol. XIII 110 Ζεῦ ... αἰδᾶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν, quod interpretatur Boeckh: „reverentia et honos ab aliis habendus“ sc. Oligaethidis; Tyrt. fr. 10 (12) v. 39 οὐδέ τις αὐτὸν βλάπτειν οὔτ' αἰδοῦς οὔτε δίκης ἐθέλει. Certe ad honorem his locis respicit vocabulum αἰδώς; eadem ratione voces αἰδεῖσθαι et αἰδοῖος ab Homero usurpantur. Moralis autem vis similiter ac vocabuli δίκη ex altera illa significatione videtur orta esse; nam Homerus nulla alia re homines magis ad egregia facinora impelli dicit quam studio laudis et cupiditate honorum [1]). Si recte Christ iudicat de loco Pindarico Ol. VII 44, Prometheus hominibus hunc pudorem (αἰδῶ) iniecisse dicitur a Pindaro; Protagoras autem in mytho illo; quem Plato eum narrantem facit (Prot. p. 320 C sq.), tradit Mercurium a Iove iussum hominibus dedisse δίκην et αἰδᾶ.

De his quae dicuntur moralibus vocabulis tam copiose disserendum esse mihi videbatur propterea, quod quo modo eorum notiones commutatas esse exposui, eodem vel simili notio vocis ἀρετὴ commutata est. Proprie enim ἀρετὴ nihil aliud erat nisi quaelibet excellentia. Itaque quid mirum, quod apud Homerum ad res quam

---

1) cf. E. Ramdohr, Zur homer. Ethik. I. Lueneburg 1865. p. 7. — Naegelsbach l. c. p. 294 sq. — Praecipue: Schmidt I. p. 168 sq.

diversissimas referri videmus ut ad gloriam et ad utilitatem, ad sapientiam et scientiam et ad res secundas. Ex eis, quae supra commemoravi, nominibus arte cum notione ἀρετῆς cohaerere videntur duo, δίκην et αἰδῶ dico, quibus quid in spectanda aliqua re homines censerent, eodem fere modo significabatur. Atque cum antiquis quidem temporibus homines magni ea aestimarent, quae oculis cernuntur, postea autem ea, quae non nisi animo percipiuntur, pluris aestimare inciperent, factum est, ut ἀρετὴν similiter ac δίκην et αἰδῶ posterioribus temporibus ad animum referrent. Sed de hoc usu vocabuli ἀρετὴ altero capite disputandum erit. Hoc loco de ceteris eius significationibus pauca praefanda sunt; nam ex his, quae fuerit propria eius vis, optime cognosci posse apparet. Satis habeo hic commemorare Homerum vocem eo facilius ad complures virtutes referre potuisse, quod singularum virtutum nomina aut plane ignorabat aut ad alias res referebat.

Homerus tantum abest, ut nomine ἀρετὴ eo sensu, quo nos solemus, usus sit, ut non solum ad hominum sed etiam ad bestiarum et rerum praestantiam rettulerit, ut Ψ 276, ubi de equis, et Υ 411, ubi de pedibus agitur. Nec non invenitur hic usus apud alios Graecorum scriptores, cf. Tyrt. fr. 10 (12), 2; Pind. Py. X 23; Plato Rep. I 335 B; Xenoph. Hiero 2, 2; 6, 15; 11, 5; Strabo XII 578 al. Quid quod de agris fertilibus haud raro usurpatur, cf. Herod. IV 198; VII 5; VIII 144; Thuc. I 2, 4[1]). Itaque minime probandum est, quod Schmidt (p. 298) dicit Atticos primos vocabulo ἀρετὴ usos esse ad propriam cuiusque rei praestantiam significandam.

Verbum, de quo agimus, iam in Homerico sermone non solum in universum de praestantia usurpari ex ea re perspicitur, quod numerus pluralis ἀρεταὶ legitur Ο 642, δ 725 cf. 815, ibique non refertur ad res excellenter factas, in quem sensum Pindarus plurales ἀρεταὶ et ἀνορέαι saepe adhibet (ac poeta plurali ἀρεταὶ saepius utitur quam singulari) sed ad genera praestantiae vel virtutes respicit, quae scilicet insunt in praestantiae notione. Pariter saepe παντοίη ἀρετὴ dicitur, ut σ 205, qui usus fortasse cohaeret cum plu-

1) Euripides sic voce ἀρετὴ utitur fr. 1083, 10 (Nauck), quem locum affert Strabo VIII 366; Matthiae (lexicon Euripideum I. Lips. 1841) ἀρετὴν ad incolarum fortitudinem refert: (*Μεσσήνης*) *ἀρετὴν ἐχούσης μείζον' ἢ λόγῳ φράσαι.* Tyrtaeum idem dicere adnotat Strabo, fortasse cogitat de loco fr. 3 (5), 3 *Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν.* Neque aliter vox usurpatur Eur. Tro. 223, nam cf. v. 211; 217; 231.

ralis origine. Inde apparet Homerum compluria excellentiae genera cognovisse.

Ac primum quidem excellens ab Homero is dicitur, qui corporis valetudine et robore, rebus secundis, divitiis floret aliosque superat, altera ex parte vocabulum *κακότης*, quod semper opponitur *ἀρετῇ*, ad res adversas proprie respicit. Excellens rerum status significatur voce *ἀρετὴ* in versu *ν* 45

θεοὶ δ' ἀρετὴν ὀπάσειαν
παντοίην καὶ μή τι κακὸν μεταδήμιον εἴη.

Nam ut dei omnibus rebus florentes Phaeacas reddant neque ullum in populo malum fiat, Ulixes rogat domum profecturus. *σ* 133 *ὄφρ' ἀρετὴν παρέχωσι θεοὶ καὶ γούνατ' ὀρώρει* (quamdiu corporis valetudinem dei praebent ac genua valent) eadem fere vocis significatio agnoscitur. Cohaeret cum ea Homericum verbum *ἀρετᾶν*, quod habet florendi vim (*τ* 114, *ϑ* 239). Item illa formula, quae est in hymnis Homericis usitata, XV (*εἰς Ἡρακλέα λεοντόθυμον*), 9 et XX (*εἰς Ἥφαιστον*), 8 poeta deos implorat, ut sibi dent (*ἀρετήν τε καὶ ὄλβον*) [1]) res secundas et divitias. Propterea Pind. Ol. VII 44 poeta id fere dicere voluisse mihi videtur: *ἐν δ' ἀρετὰν ἔβαλε καὶ χάρματ' ἀνθρώποισι Προμαθέος αἰδώς*: pudore, quem Prometheus hominibus docuit, florens laetusque status effectus est.

Haec corporis rerumque praestantia cum saepissime in bello exhiberi possit et semper bellica virtus in praestantiae notione insit, in Iliade, quippe quae belli plena sit, saepe nimirum ad eam excellentiam, quae in bello cernitur, vocabulum *ἀρετὴ* spectat. Quibus locis Ebeling quidem aliique fortitudinem notari dicunt. At meo iudicio et Homerus et posteri plerique omnem bellicam virtutem in nulla re nisi in corporis robore positam esse sentiebant. Sic *Ν* 275 et 277 de insidiis cum periculo faciendis agitur, in quibus alios tremere alios pugnae cupidos esse poeta dicit, tum:

ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν,
ἐνθ' ὅ τε δειλὸς ἀνήρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη

i. e. ibi maxime cognoscitur robur (*ἀρετή*) virorum, ibi apparet, quis

---

1) Callimachus in fine hymni in Iovem utitur hac formula, sed *ἀρετῇ* moralem sensum tribuere videtur. Similiter dei implorantur Pind. Ol. XIII 110 *Ζεῦ ... αἰδῶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκείαν* cf. Solonis fr. 12 (13), 3 (*Μοῦσαι*) *ὄλβον μοὶ πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἐχειν ἀγαθήν κτλ.* Socrates ubi colloquendi cum Phaedro finem fecit, dicit (Plat. Phaedr. 279 B) *Ὦ φίλε Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν κτλ.*

debilis sit aut quis validus. E ratione loquendi, opinor, videmus, quid poeta de his rebus sentiat; itaque haec bellica virtus secernenda non est a corporis florenti statu. *Λ* 90 *σφῇ ἀρετῇ Δαναοὶ ῥήξαντο φάλαγγας* minus: „propter fortitudinem“ quam „quanto erant robore Danai hostium globos perruperunt“. Quapropter verba *N* 237 *συμφέρτη δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν* coniectura non egent, sed sic interpretanda sunt: vires quamvis debilium virorum si coniunguntur aliquid valent. Item non est, cur cum Duemmlero [1]) coniectura tollamus vocem *ἀρετὴ* ex Tyrtaei verbis [fr. 9 (11), 14] *τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή* „ubi viri (sc. in pugna) timere coeperunt, omne eorum robur perit i. e. facile interficiuntur, quem sensum optime nexui sententiarum respondere censeo. Unde fit, ut Homerus pugnantium robur adhortationibus augeri saepe narret. Dicam quod sentio: sola de fortitudine vox *ἀρετὴ* nusquam adhibetur. Praecipue vero in epigrammatis ubi legitur et fortitudinem significare dicitur, potius amorem patriae vel cognatorum et obsequium legum declarat.

Sic fortitudinem significari opinatur Ebeling X 268

παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο· νῦν σε μάλα χρή
αἰχμήτην τ' ἔμεναι καὶ θαρσαλέον πολεμιστήν.

(Reminiscere omnigenae praestantiae; nunc valde necessarium est te hastae peritum fortemque pugnatorem esse) ubi rectissime Ameis refert *ἀρετὴν* ad facultatem aliquid efficiendi; cf. *O* 642 *παντοίας ἀρετὰς, ἠμὲν πόδας, ἠδὲ μάχεσθαι*. Item aperte Schmidt (I p. 297) non recte dicit fortitudinem significari apud Simonid. fr. 68 (84) *παντοίης ἀρετῆς ἵδριες ἐν πολέμῳ*. Facultatem aliquid faciendi saepe vocabulum *ἀρετὴ* notat, ut Pind. Ol. IX 108 *διδακταῖς ἀρεταῖς* significantur facultates doctrina comparatae; Plat. Protag. 322 D *ὅταν μὲν περὶ ἀρετῆς τεκτονικῆς ᾖ λόγος ἢ ἄλλης τινὸς δημιουργικῆς* et eiusdem dialogi aliis locis idem significare videtur vox *ἀρετὴ* quod *τέχνη*, ut p. 319 E cf. 319 A. Haec significatio, quae magni in disputatione mea momenti est, maxime inde orta esse mihi videtur, quod vocabula, quibus postea mores significantur, vel proprie vel per tempus quoddam ad intellectum referebantur.

Restat ut quaeramus, num gloria et honos dicantur vocabulo *ἀρετή*. De hac re virorum doctorum valde discrepant sententiae; negat enim Doederlein gloriam dici posse, contra Hug (ad Platonis conv. p. 208 D) probat hanc significationem; in lexicis quoque

---

1) Philol. LVI p. 11 adn. 12 scribendum proponit *ἀγέλη*, de quo vocabulo cf. Diels, Hermes XXXI p. 355 sq.

ea praeberi solet; Passow vero primo eam affert, infra autem vetat. Quam arte cum valendi et florendi notione coniuncta sit in sermone Graeco gloria et honor, ex usu vocis κῦδος intellegitur, quae de robore proprie adhibetur (cf. Ebeling, lex. hom.); similiter vocabulo τιμή proprie potentia significari mihi videtur. Propterea si proficiscimur a significatione vocis genuina, quam excellentiam esse confido, facile credi potest honorem et gloriam voce ἀρετὴ notari posse. Neque tamen neglegendum est, quod primo excellens vel status vel factum aliquod significatur, postea ea gloria, quam hanc ob excellentiam aliquis sibi comparat[1]), nullius rei gloriam significari posse, nisi quae inest in notione ἀρετῆς. Itaque etsi interpretanda sunt verba ω 515 ἀρετῆς πέρι δῆριν ἔχουσιν „certant de honore virtutis bellicae", tamen Doederlein recte negat gloriam significari ξ 402, ubi Eumaeus cum Ulixe collocutus per ironiam dicit, si hospitem necavisset, fore ut laudem et gloriam boni hominis habeat (οὕτω . . . κέν μοι ἐυκλείη τ' ἀρετή τε εἴη ἐπ' ἀνθρώπους); sed de hoc loco infra agendum erit. Praecipue lyricorum loci afferri possunt, ubi laus omnigenae praestantiae significatur voce ἀρετή, ut Bacchylidis fr. 3, 90 sq. (ed. Blass.) ἀρετᾶς γε μὲν οὐ μινύθει βροτῶν ἅμα σάματι φέγγος, ἀλλὰ Μοῦσα νιν τρέφει (praestantiae splendor non interit simul cum corpore mortalium, sed Musa eam alit) id quod dici non posset, si tantum ad corporis rerumque excellentem statum pertineret ἀρετή. Pind. Py. III 114 ἃ δ' ἀρετὰ κλεινᾶις ἀοιδᾶις χρονία τελέθει (excellentiae laus claris cantibus diuturna fit). Nec Platoni alienum esse hunc usum concludendum est e verbis (Conv. 208 D) ἀλλ' οἶμαι ὑπὲρ ἀρετῆς ἀθανάτου καὶ τοιαύτης δόξης εὐκλεοῦς, πάντες πάντα ποιοῦσιν, ubi verba ἀρετὴ ἀθάνατος idem valent quod ea, quae paulo antecedunt, ἀθάνατος μνήμη ἀρετῆς. Hug qui Hommelium aliosque secutus numerosa multa verba in ea Platonis oratione dicta esse sibi persuasit, utrumque quem attulimus locum nescio cui poetae veteri adiudicat, sed hanc sententiam confirmasse non videtur. Aliis quoque locis, quos ad haec Platonis verba afferunt interpretes, significatio, de qua agimus, satis cognoscitur, ut apud eundem Platonem Rep. X 618 B (οἱ) ἐπὶ γένεσι καὶ προγόνων ἀρεταῖς i. e. quibus curae sunt genus et maiorum res excellenter gestae.

---

1) cf. Christ ad Pind. Ol. VIII, 6. — Kaibel, Sophocles Electra p. 220. — Zielinski, Philol. LV p. 591 adn. 12.

At non recte afferri mihi videtur locus Sophocleus, Phil. 1419, ubi Hercules Philoctetam adloquitur:

ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους
ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν.

Haec verba Hug (l. c.) interpretatur: quales labores passus immortalem gloriam ob res egregie gestas adeptus sum, ut vides. Atqui ex his novissimis verbis (*ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν*) apparere censeo non de gloria excellentiae Herculem loqui (quae est significatio vocabuli *ἀρετὴ* in Sophoclis Tr. 644) sed de eo, quod Philoctetes eum viventem et florentem videt, quamquam eum mortuum esse scit. Neque G. Hermann ad gloriam hoc loco revocandam esse vocem *ἀρετὴ* iudicare videtur, quippe qui excellentiam significari dicat. Praeterea cum veri simile esse mihi videatur respicere Sophoclem ad Prodici de Hercule narrationem (Xen. Mem. II 1, 21 sq.), ad felicitatem et prosperitatem refero similiter ac Nauck *ἀρετὴν* hoc loco, quae significatio tam arte cohaeret cum florendi et valendi vi, ut felicitas in genuina notione inesse videatur, sicut miseria in contraria vocabuli *κακότης* notione. Hoc autem praestantiae genus certe non habere potest nisi qui vivit. Hom. *ω* 192 *σὺν μεγάλῃ ἀρετῇ ἐκτήσω ἄκοιτιν* Eusthat. (1955, 57) interpretatur verbis *εὐτυχίᾳ, εὐδαιμονίᾳ*, unde apparet ei hanc vim notam esse; et *ν* 45, ubi Ulixes dicit *θεοὶ δ' ἀρετὴν ὀπάσειαν παντοίην καὶ μή τι κακὸν μεταδήμιον εἴη*, in aperto est florentem statum secundum poetae sententiam cum felicitate cohaerere. In eundem sensum accipienda esse mihi videntur verba, quae I 498 leguntur, *τῶν* (sc. *τῶν θεῶν*) *περ καὶ μείζων ἀρετὴ τιμή τε βίη τε* (quamquam dei magis pollent, vigent, valent) nam de vi et potentia, quae cum excellenti et florenti statu coniuncta sunt, non minus agi existimo quam de honore.

Sed certe praeter felicitatem cum excellentia auctoritatem quandam cohaerere putat Homerus. Quas res praeterea cum tali statu coniunxerit, in altero capite quaeretur; nunc hoc unum commemorandum est, e variis significationibus, de quibus actum est, maxime cum genuina vi cohaerere eam, qua florere aliquis dicitur, nam haec pertinet ad tantas opes, ut inopia non adsit, ad corporis valetudinem, qua victum sibi comparare et vitam defendere aliquis potest, ad eam intellegentiam, qua agri coluntur, arma geruntur, denique ad felicitatem. Atque cum his rebus alter alterum superare possit, non omnibus hominibus eadem excellentiae copia tribuitur aliique aliis rebus excellentiae laudem nansciscuntur; quare numerus pluralis *ἀρεταὶ* ad bona, rationes, facultates spectat, quibus illa acquiritur.

Ita cum paullatim notiones vocabulorum moralium commutatae essent, alia atque antea praecepta recte vivendi a poetis sunt pronuntiata. Omnes enim homines, qui studebant ἀρετὴν adipisci i. e. in florentem statum pervenire, docebant, qua ratione pro suis quisque viribus id efficere possent. Simili ratione cum cognovissent, quam essent caducae res secundae singulorum, nisi alter alterum iuvaret et alteri parceret, postulabant, ut id quod notioni δίκης subiectum est, et ceterorum et sua causa facere ne recusarent. Denique ut singuli diutius statum florentem obtinere possent, id postulabatur, ne deorum numina laederent et ut aliorum hominum iudicium respicerent, quas res voce αἰδὼς complectimur. Sic ex his notionibus gravissima praecepta moralia derivari possunt. Sed notionem, quam dicimus moralem, vocis ἀρετὴ capitibus quae sequuntur accuratius exponere mihi proposui.

Caput alterum.

Vocabuli ἀρετὴ notio epica.

Comparantibus nobis notionem, quae voci ἀρετὴ antiquissimis temporibus subiecta est, cum notione, quam postea habet, apparet, quam longam viam in hac notione excolenda Graeci progressi sint. Nam cum apud Homerum inter alia divitiae voce ἀρετὴ significarentur, vel ei philosophi, qui ante Socratem floruerunt, divitias prorsus ab hac notione secernendas esse viderunt. Huius progressus ut ita dicam tres gradus esse distinguendos supra exposui. Atque primum quidem gradum, quem dico epicum, Homerus tenet et poetae, qui eum sequuntur, Simonides, Pindarus, Bacchylides, Sophocles. Nam quamquam eos hac vel illa re inter se paulum differre me non fugit, tamen ab eis, qui sequuntur, tam diversi esse et de notione ἀρετῆς ipsa adeo inter se consentire mihi videntur, ut eiusdem eos esse ordinis dicere non dubitem.

Quo melius quid apud Homerum ceterosque poetas sibi velit vox ἀρετὴ intellegi possit, id potissimum inquirendum esse mihi videtur, utrum in eorum carminibus moralem quandam vim accipiat necne. Ad hanc rem satis dubiam diiudicandam singulos locos accuratius examinandos esse apparet. Mihi quidem persuasum est incepisse eos poetas voci moralem quandam vim tribuere atque aliquo loco hanc vim esse agnoscendam, sed notionem ipsam apud eos minime moralem fuisse. Id quidem negari non potest in notione

praestantiae inesse praeter alias res notionem honestatis cuiusdam, sed haec honestas moralis non dicenda est.

Haud ignoro nonnullos viros doctos, ut Doederleinium (l. c. II p. 84) et Ramdohrium (I p. 5), negare in carminibus Homericis ad honestatem referri *ἀρετήν*, recte autem Ebeling et Schmidt (p. 298) initia huius usus apud Homerum et Pindarum agnoscenda esse iudicare mihi videntur. Ex Homeri carminibus Schmidt affert locos: ϱ 322, ω 193 et 197. Proximo loco, ω 197, de morali vi dubitari non potest, cum Penelopa opponatur infideli Clytemaestrae ac fidelis coniugi fuisse dicatur, cuius praestantiae gloriam numquam interituram esse (*τῷ οἳ κλέος οὔ ποτ' ὀλεῖται ἧς ἀρετῆς*); propterea v. 193 quoque ut hanc significationem statuamus fieri potest. Sed quoniam recentior haec carminis pars est, non ostenditur ea aetate, quam proprie epicam dicimus, moralem vocis vim valere.

Sequitur ut de primo loco agamus, quem affert Schmidt, dico ϱ 322, ubi Eumaeus cum Ulixe collocutus servos absente domino nolle facere quae debeant (*ἐναίσιμα*[1]) *ἐργάζεσθαι*) dicit

ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς
ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησιν,

quae verba Ebeling et Schmidt interpretantur: nam honestatis dimidiam partem Iupiter demit viro, si cui servitutis dies advenit. Sic a veteribus quoque hunc locum intellectum esse inde apparet, quod apud Platonem legg. VI 777 A legitur *ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείρεται κτλ.* pro *ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται.* Philosophus cum de fide servorum agat et paulo ante (776 D) vocabulum *ἀρετὴ* in hunc sensum adhibeat, loco de quo agimus *ἀρετὴν* legisse non videtur; neque verisimile est verba eius in codicibus commutata esse. Sed respiciendum est, quod substantiva *νοῦς* et *ἀρετή* eundem fere sensum habent, quoniam ea vocabula, quibus in philosophorum sermone mores significantur, ad intellectum praecipue in elegiis referuntur. Itaque voce *ἀρετή*, in cuius notione inesse facultatem quandam supra diximus, hic facultas vitae recte gerendae notatur, de qua re infra agendum erit; comparandus deinde est versus Theognidis 36 sq. *ἢν δὲ κακοῖσιν συμμίσγῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον* (si una cum malis hominibus vivis, boni tui mores depravantur) item

---

1) Significatio vocabuli *αἶσα* si recte Doederlein (II p. 17) cum *ἴση*, *ἰδεῖν* cohaerere dicit, eodem modo procedit quo vocis *δίκη* a stirpe *δικ-* formatae, cum id significet, quod cernitur, quod fit, quod fas est.

aperte apud Euripidem fr. 909 et Pind. Py. VI 47 (*νόῳ δὲ πλοῦτον ἄγει*) *ἀρετὴ* idem valet quod *νοῦς*. Homo qui talia sentiebat et *ἀρετὴν* non ad servos, sed ad nobiles pertinere credebat (ut Ramdohr (I p. 5) id maxime, quo liberi differant a servis, voce *ἀρετὴ* significatum esse exponit) ante Platonem in scribendo versu facile Homericum verbum *ἀρετὴ* cum synonymo commutare poterat; accedit quod vocabuli *ἐλευθέριος* usus hanc commutationem commendabat. De servorum autem praestantia non solum Homerico et Platonico illo loco vox *ἀρετὴ* e vulgari sententia usurpatur, sed etiam Plat. Men. 71 E et 73 D, ita ut in universum Ramdohrii sententia non stet, etsi recte de elegiacis nonnullis et de aliis hominibus nobilibus profertur. Bekker (homer. Blätter I p. 275) recentiores illos de quibus agimus Homericos versus esse iudicat propterea, quod ad nexum sententiarum non quadrent; cur quadrare eos neget, non indicat vir doctissimus, sed in vocabuli *ἀρετὴ* usu offendisse non videtur. Si contra licet proferre meam sententiam, aptissima esse huic loco illa verba mihi videntur, cum Eumaeus aegre ferat, quod alii servi, praecipue Melantheus, quocum modo (v. 213 sq.) collocutus erat, pigros et infideles se praebent, deinde fidelis canis, qui primus dominum alia specie indutum cognoverat, opponatur infidis servis. Itaque Homerum quoque de praestantia (*ἀρετῇ*) servorum locutum esse censeo. Neque dubito, quin proprie ad peculiarem cuiusque praestantiam revocatum sit vocabulum *ἀρετὴ* pariter atque ad bestiarum et rerum praestantiam; sed si ad florentem statum pertinere genuinam notionem recte a me expositum est, facile perspicitur hanc non unice valere eo loco, quem tractamus; inest enim in verbo *ἀρετὴ* aliquid, quod ita cum florenti statu cohaeret, ut, si is amittitur, minuatur; nam certe servorum condicionem cum rebus adversis coniunctam esse ii sentiebant, quorum sententias cognoscimus ex usu verborum. Quaeritur igitur, ad quam rem cum praestantiae notione coniunctam pertineat hoc loco *ἀρετή*. Schmidt quidem ad honestatem refert, sed hoc minus probandum est, quod honestas certe non minuitur simul cum fortuna hominum. Concedendum autem est Schmidtio cum moribus cohaerere significationem vocis *ἀρετή*, cum servi nolle facere dicantur quae debeant. Quare utilitatem notari iudico verbo *ἀρετὴ* eo loco, de quo agimus, ut vocabula, quae ad mores a philosophis referuntur, cum apud alios tum apud Hesiodum utilitatem declarant; sic *N* 236 verba *ὄφελος γενώμεθα* aperte idem dicunt quod *ἀρετή*, et *ξ* 212, ubi Ulixes in narratione ficta excellentiam

(*ἀρετήν*) sibi tributam esse dicit, cum non inutilis[1]) neque pugnae fugiens fuerit (*ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιος ἦα οὐδὲ φυγοπτόλεμος*), haec significatio agnoscenda est; confirmatur praeterea vocabuli *ἀρετᾶν* usu, qui cognoscitur ex versu Θ 239 *οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα* (res male factae facienti non sunt utilia i. e. bonum eventum non habent).

Quamquam igitur locis, quos affert Schmidt, non evincitur vocabulum *ἀρετὴ* moralem sensum habere in Homeri carminibus, ex alio loco hoc concludendum esse mihi videtur, dico locum, quem supra commemoravi, ξ 402; per ironiam enim Eumaeus dicit fore, ut sibi laus et honor propter praestantiam inter homines sit, si Ulixem hospitem suum interfecerit (*ἐυκλείη τ' ἀρετή τε*). Quoniam de gloria sola vocabulum *ἀρετὴ* non usurpatur, significat hoc loco, ut saepe, laudem excellentiae; sed haec excellentia certe quodammodo moralis est. Doederlein quidem, quippe qui omnino neget moralem sensum in Homericis carminibus statui posse, de prudentiae laude hoc loco agi dicit; quod si ita esset, ex hoc quoque loco appareret, quam arte bonos mores cum prudentia coniunctos esse Graeci senserint; neque deest exemplum, e quo intellegitur apud Homerum in vocabulo *ἀρετὴ* inesse laudem intellectus (*μ 211 ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇ τε νόῳ τε ἐκφύγομεν*) neque aliena haec significatio est a genuina vi vocabuli. Sed hoc, quem tractamus, loco de illa consuetudine agitur, qua postulatur, ut hospitibus parcatur; itaque Eumaeus Iovis numen se offensurum esse putat (v. 406). Accedit quod hospites *αἰδοῖοι* i. e. verendi habebantur (cf. Θ 544; *τ* 191, 316). Coniunguntur igitur in hospitum cultu tres illae notiones: fas, religio et is, quem *αἰδῶ* dicit poeta, honor aliorum hominum. Propterea fieri posse, ut in Homeri carminibus moralem vim *ἀρετὴ* accipiat, non nego; atque ex ea re concludendum est secundum Homeri sententiam excellentis viri esse hospites adiuvare, *τὸ δίκαιον εἶναι*.

Cum alio Homerico loco moralem vim non habeat vox *ἀρετή*, nunc quaerendum nobis est, quid in lyricorum, quos cum illo coniungimus, carminibus de hac re statuendum sit. Pindari duo loci, quibus ad bonos mores illud nomen spectet, offeruntur, a Schmidtio Py. I 94 et a Rumpelio (lex. Pind. Lips. 1883) Py. VI 42. Horum secundum locum primum spectemus: de Antiocho, quia pro patre vitam profuderit, poeta dicit: *ἐδόκησεν . . . . ὕπατος ἀμφὶ τοκεῦσιν*

1) Nam vox *ἀποφώλιος*, de cuius derivatione dubitatur, ad utilitatem utique referenda esse mihi videtur.

ἔμμεν πρὸς ἀρετάν, id quod viri docti sic interpretantur, ut vertant „excellere visus est pietate adversus parentes“. Tamen vocabulo ἀρετὴ pietatem significari non statuemus, si eos respicimus locos, quibus moralem vim habet. In quorum numero est is, quem affert Schmidt, Py. I 94 οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά, ubi Croesi praestantiae opponitur Phalaridis crudelis et funesta mens. Hoc autem loco non benignitas significari, sed adiectivum φιλόφρων eandem quam σώφρων et coniunctum cum substantivo ἀρετὴ eandem quam σωφροσύνη vim habere mihi videtur; cf. Ist. VII 25 σώφρονές τ' ἐγένοντο πισυνοί τε θυμόν (boni et fideles facti sunt). Py. V 2 poeta laudat „opes si quis illas virtute temperatas comites habet“ (Boeckh), verbis καθαρᾷ ἀρετᾷ usus ad temperantiam significandam. Inde perspicitur vocabulum ἀρετὰ in Pindaricis carminibus ea tantum re, quod cum aliis verbis coniungitur, ut ἀμφὶ τοκεῦσιν, φιλόφρων, καθαρός, moralem vim accipere (similiter Plato, ut philosopha notio cognoscatur, cum voce ἀρετὴ alteram coniungit cf. ἀνδρὸς ἀρετή Prot. 325 A; ἀρετὴ ψυχῆς Rep. I 353 D) et eius, cui excellentiae (ἀρετῆς) laus tribuatur, esse parentes in honore habere, crudeliter se non gerere, pecuniis non abuti.

Restat ut e Sophoclis fabulis locum afferamus, quo moralem vim habet ἀρετή. Ph. 669 de Neoptolemi praestantia propterea loquitur Philoctetes, quod se infelicem comiter adiuverit, ita ut benignitas et humanitas notentur, quam vim vox ἀρετὴ apud Xenophontem quoque habet Anab. I 4, 8 τῆς πρόσθεν ἕνεκα περὶ ἐμοῦ ἀρετῆς (quia antea de me bene meriti sunt, vel quia antea mihi boni amici fuerunt). Propterea sic interpretari licet, opinor, Simonid. fr. 98 (115), ubi poeta laudat praestantiam et pietatem iuvenis cuiusdam, qui, cum patrem tueretur, interfectus sit. Schmidt, ut qui sibi persuaserit in Simonidis carminibus vocem de fortitudine tantum usurpari, hoc quoque loco ita interpretatur, sed praesertim si comparamus Pind. Py. VI 42, de quo loco supra egimus, veri similius esse mihi quidem videtur pietatem erga parentem dici, ad quam interpretationem bene quadrat illius σαοφροσύνης vis. In eiusdem poetae epigr. 87 (102) item aperte minus de fortitudine quam de patriae et infantium amore (cf. v. 3 et 4) agitur; neque est cur ceteris Simonideis locis fortitudinem non omittamus (cf. 1 (4), 8; 109 (130); [89 (105)]).

Itaque dubium non esse puto, quin in carminibus eorum poetarum, quorum sententias morales hoc capite tractamus, vocabulum ἀρετὴ moralem vim habere possit. Quare quaeri potest, utrum haec

sit significatio derivata an notio genuina, quae ad imaginem perfecti viri pertinet. Sed antequam de hac re agamus, spectemus, quem ad modum ab Homero haec perfecti viri imago declaretur illo substantivo. Nam poeta quoniam singularum virtutum nominibus non utitur eodem modo quo philosophi, fortasse putari potest illo quoque vocabulo, quo omnes virtutes complectitur, non eodem modo quo ceteros uti. Comprobatur autem compluribus locis poetam de illo perfecto viro vocem usurpasse, ut σ 204

πόσιος ποθέουσα φίλοιο
παντοίην ἀρετήν, ἐπεὶ ἔξοχος ἦεν Ἀχαιῶν.

([Penelopa] quae coniugis amati omnigenam praestantiam desiderabat, cum inter Achaeos excelleret). Hoc quidem loco e nexu sententiarum non satis demonstrari potest, de quo praestantiae genere agatur, ita ut cogamur notionem ex Homeri sententiis moralibus quaerere. Sed neglegendum non est hanc vim addito illo *παντοίην* effici. Huic loco similia sunt verba β 206, ubi Eurymachus, cum de se ceterisque procis loquitur, *εἵνεκα τῆς ἀρετῆς ἐριδαίνομεν* ait, Penelopae autem dicit excellentiam [1]). De perfecta femina hoc loco dictum est, quam notionem et ad pulchritudinem et ad divitias vel ad principatum et ad prudentiam vel pietatem, quoniam de Penelopa agitur, pertinere licet suspicari. Luce enim clarius est praestantiae laudem non ad animum tantum spectare. Certe praestantia exhiberi potest prudentia, ut μ 211 *ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βουλῇ τε νόῳ τε, ἐκφύγομεν* (sed etiam inde, sc. e specu Polyphemi, praestantia mea, consilio et mente, liberati sumus). Itaque hoc quoque loco generalis quaedam notio inest in illa voce. Similiter σ 251 (cf. τ 124) Penelopa dicit: *ἦ τοι ἐμὴν ἀρετὴν, εἶδός τε δέμας τε, ὤλεσαν ἀθάνατοι;* hoc quoque loco praestantia cernitur pulchritudine, non autem haec sola significatur illo substantivo.

Duos quos ultimos modo tractavimus locos et illum, ubi de servorum excellentia (*ἀρετῇ*) agitur, si consideramus, Homerus suam cuique hominum generi praestantiam attribuisse videtur similiter atque Menonem Plato eis attribuentem facit (Men. p. 71 E sq.). Quare si quaerimus, quae res significentur *ἀνδρὸς ἀρετῇ*, primum corporis robur, quocum coniuncta est virtus bellica, deinde prudentiam, qua in contione et omnino in consiliis capiendis, in peri-

1) cf. C. Brugmann, Ein Problem d. homer. Textkritik. Lips. 1876. p. 52. — H. van Herwerden, Revue de phil. II. 1878. p. 195 *ἐῆς ἀρετῆς* scribendum esse censet.

culis superandis (μ 211) opus est, commemorabimus; haud dubie addenda est comitas erga hospites (τὸ δίκαιον εἶναι) et omnino obsequium eorum morum communium, qui a deis instituti esse putabantur. Hac una in re deorum cultus ad imaginem perfecti viri perficiendam annumeratur, ideoque bonum virum apud Homerum pietatem erga deos praestare opus fuisse statuendum non est, potius religionem i. e. eam prudentiam, qua deorum numen violare aliquis prohibetur; neque iustitia, qua quidem philosophi notione utuntur, nec temperantia (σωφροσύνη) in Homericarum virtutum numero habendae sunt. Sed poeta mores cum intellegentia cohaerere sentit, id quod recte scholiastae monent ad β 382: ἄκρως δογματίζει Ὅμηρος ὅτι ὁ ἄδικος καὶ ἀσύνετος (secundum Dindorf.); legitur enim in illo versu μνηστήρων . . . ἀφραδέων, ἐπεὶ οὔτι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι, ubi ἀφραδὴς ad mores quoque refertur; pariter iniuriae procorum significantur voce ἀφροσύναι. Multi praeterea loci afferuntur, quibus haec Homeri sententia illustratur [1]). Hac re commotus Doederlein, opinor, ξ 402, quem locum supra tractavimus, ad prudentiam refert vocabulum ἀρετή, sed aperte, si de prudentia agitur, haec moralis est; neque videtur dubitari posse, quin excellenti viro secundum Homeri sententiam morali intellegentia opus sit. Sed nullam virtutem ab eo pluris aestimari quam corporis valetudinem cum ex aliis locis tum e versu ϑ 237 cognoscitur, ubi primum in universum de viri praestantia vocabulum ἀρετὴ usurpatur, tum apparet de corporis robore dictum esse.

Quem ad modum reperiri possint singulae, quas philosophi distinguunt, virtutes primariae in Homeri praeceptis moralibus, hoc loco exponere supersedeo, satis enim viri docti de ea re disputaverunt [2]). Hoc unum liceat commemorare eam intellegentiam, qua bonum malumve cognoscitur, esse virtutem omnibus hominum generibus communem; cui addenda sunt iuris initia, quae nimirum omnibus hominibus necessaria habebantur. Praeterea corporis valetudinem, divitias, auctoritatem ei necessarias esse, cui laus excellentiae tribuatur, inde apparere videtur, quod variis vocabuli ἀρετὴ significationibus hae res declarantur. Eodem spectat, quod nobilitas generis tanti est momenti in cognoscenda virorum excellentia. Ita Υ 200sq. Aeneas longa oratione Achilli exponit sibi non minorem esse

1) cf. F. K. D. Jansen, Ueber die beiden homer. Cardinaltugenden. Itzehoe 1854. p. 16 sq.

2) cf. Ramdohr I p. 5 — Naegelsbach, Homer. Theologie.[3] p. 62.

excellentiam (ἀρετήν) quam illi, quia parentes sui nobiliores sint. Hanc sentiendi consuetudinem in Bacchylidis quoque carminibus invenimus, nam c. XVI Theseus propterea se cum Minoe pugnare non vereri ostendit, quod aeque nobili genere natus sit; atque de excellentia sua heroem loqui poeta indicat verbis (v. 47) τόσ' εἶπεν ἀρέταιχμος ἥρως [1]). Itaque tantum de bono genere et eis virtutibus, quae ex hoc nascuntur, vocabulum ἀρετὴ accipi videtur eis locis, ubi de Antinoo et Eurymacho poeta loquitur (δ 629 cf. φ 187): ἄρχοι μνηστήρων, ἀρετῇ δ' ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι; nam certe non ad bonos mores refertur ἀρετή, quoniam hi proci superant ceteros iniuria et inhonestis moribus. Itaque E. Meyerum [2]) erravisse crediderim, qui negat ullum populum ei laudem praestantiae tribuere posse, qui vulgi moralia praecepta laeserit. Nam haud dubie nec poeta neque alius Graecorum ea, quae proci fecerunt, non detestatus est. Ex hoc loco igitur concludendum esse mihi videtur, adeo non esse moralem ἀρετῆς propriam notionem, ut de homine dici possit, qui moralia praecepta laeserit; similiter Euripides Suppl. 597 (*K.*) ἀρετὴν ita opponit δίκῃ, ut iniustus quoque videatur ἀγαθὸς dici posse sc. propter bellicam virtutem (cf. infra p. 27). Neque ullo modo proprie cum florenti statu moralem habitum coniunctum fuisse apud eos, qui excellentes habebantur, neque honestum ab Homero tanti aestimari, quanti nos censere solemus, mihi quidem persuasum est.

Ex eo quod ille, de quo modo dixi, versus postea in libro Odysseae vicesimo et secundo (χ 244) ad alios quosdam procos refertur, primo obtutu videtur concludi posse hoc loco fortitudinem

---

1) Nimirum in vulgari sententia posteriore quoque aetate genus magni momenti erat in praestantia alicui attribuenda, unde in orationibus funebribus de ortu et genere mortuorum multa verba fiunt neque a re tractanda (dico ἀρετὴν mortuorum) aliena sunt multae illae laudes, quae in Lysiae, qui dicitur, epitaphio de patria et maioribus mortuorum proferuntur.

2) Forschungen zur alten Geschichte. II. Halle 1899. p. 370 adn. 2 ..... „Dass die ἀρετή, die Eigenschaft, die den ἀνὴρ ἀγαθός macht, von Haus aus gar kein sittliches Gut ist", wie Wilamowitz, Gött. Nachr. 1898, 214 sagt, kann ich nicht zugeben. Die Gebote des volkstümlichen Moralkatechismus gehören immer zur ἀρετή, wenn sie auch den Begriff nicht erschöpfen: ein Mann, der sie gröblich übertritt, kann keinem Volk ein ἀνὴρ ἀγαθός sein. Selbstverständlich sind diese Gebote nicht die der religiösen oder philosophischen Ethik: mit diesen nimmt es die populäre Ethik oft leicht genug, während körperliche Ausbildung, Gastlichkeit, Freigebigkeit, vornehmes Auftreten notwendig zur ἀρετή gehören. — Deshalb kann sie ohne ὄλβος nicht bestehen. Aber diese Eigenschaften gelten der populären Anschauung durchaus als sittliche Güter.

eorum declarari, dicuntur enim ii proci, qui ante ceteros cum Ulixe eiusque sociis fortiter pugnant. Sed rectius putandum est Homerum existimavisse cum nobilitate generis semper bellicam virtutem esse coniunctam. Nec non sentiunt apud eum viri nobiles (*M* 310 sq. cf. Ramdohr I p. 11) propter nobilitatem generis et propter honorem, quo fruuntur, se decere quam fortissime pugnare. Item cum nobilitate divitias quodam modo coniunctas esse poeta putasse mihi videtur. Ita factum est, ut vocabulo *ἀρετὴ* divitias quoque significaret, quae nimirum in propria *ἀρετῆς* notione summi momenti erant. Posteriore aetate neque nobiles semper simul divites neque divitiae aut genus nobile opus erant perfecto viro; quare post Homerum vocabulo *ἀρετὴ* opes non notantur. Ex alia quoque re apparet poetam nondum voce *ἀρετὴ* significasse, quod vere honestum est. Dicit enim fieri posse, ut di prout velint hominibus excellentiam (*ἀρετήν*) demant vel augeant (*Y* 242 *Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε, ὅππως κεν ἐθέλησιν.* cf. *ν* 45, *σ* 133). Atqui dubium non est, quin is, qui sic de praestantia hominum cogitat, non satis perspexerit, quid sit honestum. Eodem spectat, quod servitute dimidiam excellentiae partem hominibus demi poeta censet (*ϱ* 322)[1]).

Quae cum ita sint, non possum non existimare Homericam notionem *ἀρετῆς*, si ad viri excellentiam refertur, non multo differre ab ea, quam veri similiter genuinam fuisse exeunte primo capite statuimus, et minus ad honestatem referri quam ad alias animi facultates, corporis robur et valetudinem, res secundas. Unum vocabulum *δίκαιος* apud Homerum moralem vim habet; atque eo omnes boni mores significantur, ut dicit Schmidt (p. 303; cf. Naegelsbach l. c. p. 329 sq.). Ad multas igitur res pertinet Homerica notio *ἀρετῆς*, a qua proficiscendum nobis est in tractandis notionis commutationibus.

Restat ut paucis verbis eam quaestionem tangamus, num recte dicantur in Odyssea, si cum Iliade comparatur, morales sententiae maiorem quandam adeptae esse maturitatem et perfectionem (cf. Ramdohr I p. 1 sq.). Notio vocabuli *ἀρετὴ* certe eadem est in utroque carmine, ita ut hac re differre carmina non videantur. Id quidem concedendum est et in Iliade multo saepius illa voce signi-

1) Postea deorum potentia hac in re non semper tantum valebat, cf. Simonid. fr. 44 (61) *Οὔτις ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν*; Pind. Isth. III 4 *Ζεῦ μεγάλαι δ' ἀρεταὶ θνατοὺς ἔπονται ἐκ σέθεν.* Solo fr. 14 (15) *ἐπεὶ τὸ μὲν* (sc. *ἡ ἀρετή*) *ἔμπεδον αἰεί.* Soph. fr. 195 (N.) *ἀρετῆς βέβαιαι δ' εἰσὶν αἱ κτήσεις μόνης.*

ficari bellicam virtutem quam in Odyssea et in hoc carmine eos locos legi, quibus ad bonos mores refertur *ἀρετή*, vel saltem inde non multum abest. Sed aliquid certi ex hac re effici non potest, nam ita, ni fallor, facile potest explicari, quod diversae res in carminibus narrantur; accedit, quod is locus, ubi praestantiae laus alicui tribuitur, qui praecepta moralia laesit, dico versum δ 629, legitur in Odyssea. Quae in utroque carmine Homerus de praestantia sentit, exprimit versu illo clarissimo (Z 208)

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Apparet hoc loco poetam minime cogitare de rebus moralibus.

Non mirum est, quod Homeri notio vocis *ἀρετὴ* placuit illis, qui eum sequebantur, poetis. Nam hi cum nobili loco nati essent, facile sibi persuadebant omnem excellentiam positam esse tum in nobilitate generis, tum in eis rebus, quae cum ea coniunctae esse solent. Plerumque enim qua quisque re excellit, in ea positam esse veram excellentiam putat. Sed hac eadem ratione factum esse videmus, ut notio vocis genuina quodammodo mutaretur, propterea quod singuli poetae de excellentia aliter sentiebant. Apparet hoc e fragmento Tyrtaei 10 (12), quo quae vera sit excellentia exponit: negat enim (v. 1—12) veram praestantiam (*ἀρετὴν*) contineri pedum celeritate aut arte luctandi aut robore aut pulchritudine aut divitiis aut aliis similibus virtutibus; unam eius, qui fortiter pro patria pugnet, veram esse excellentiam (v. 13 *ἥδ' ἀρετή*). Exeunte elegia (v. 43) ad haec verba poeta eos qui audiunt revocat, cum dicit *ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πολέμου.* Item in elegia, quae ad huius similitudinem facta est (cf. R. Reitzenstein, Epigramm u. Skolion. Giessen 1893. p. 77 sq.). Theogn. 699 sq. *Πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίνεται ἥδε πλουτεῖν κτλ.* omnia bona, ut robur et divitiae ceteraque, quae commemoravimus, significantur voce *ἀρετή*[1]). Quodsi Tyrtaeus virtutem in bello pro patria gerendo exhibitam veram praestantiam esse dicit, tamen apud eum fortitudinem significari voce *ἀρετὴ* non recte, opinor, iudicatur. Sed Tyrtaeus ob eam rem ipsam, quod quae vera sit excellentia quaerit, multum ab Homero differt. Accedit quod suam

1) Itaque mutanda non esse mihi videntur Euripidis verba fr. 15, 3 (N.) *πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχον ἐν βίῳ, τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.*

praestantiae notionem discernit non solum a divitiis sed etiam a robore. Hac re non solum ab Homero multum differt, sed etiam a Pindaro, sophistis denique omnibus iis, qui non sentiunt hominibus ita praestantiam exhibendam esse, ut pro communi salute suam profundant, sed qui putant suam cuique salutem curandam esse sive opibus acquirendis sive bonis moribus vitam et bona tuendo.

Iam ad ceteros poetas redeamus. Hi quamquam non tam longe procedunt quam Tyrtaeus, tamen notionem ἀρετῆς pro sui quisque ingenii natura aliquantulum commutaverunt. Ex poetis lyricis de Pindaro potissimum dicendum erit, nam Simonides et Bacchylides non nisi paucis rebus neque iis gravibus ab eo dissentiunt. Quamquam de iis, quae Pindarus de moribus sentiat, multi viri docti scripserunt [1]), ipsa vocabuli ἀρετὴ notio nimis neglecta est [2]). Fritzche (l. c.) perfecti viri imaginem cum ex Pindari carminibus delinearet, corporis valetudinem omisit, quae ex poetae sententia omittenda non erat; neque desunt altera ex parte, qui non maiore iure dicant adiectivum ἀγαθὸς in Pindari carminibus ad corporis tantum praestantiam referendum esse, cum alterum adiectivum καλός, quod cum eo coniungunt, ad morales tantum virtutes revocent. Quemadmodum poetae sententiae morales a viris doctis quasi in Procrusteo quodam lecto in quattuor illas, quas philosophi distinguunt, virtutes primarias distrahantur, exponere non attinet; praecipue fortitudinem in certaminibus praebitam a poeta laudatam esse sine ulla satis idonea causa ferunt. Sed si ad ipsius usum verborum et sententias respicimus, inter moralem excellentiam has virtutes poetam habuisse dicendum est: εὐσεβίαν (quod nomen semel legitur, adiectivum εὐσεβὴς saepe), τὸ δίκαιον εἶναι, τὸ σώφρονα εἶναι. Hac igitur re Pindarus differt ab Homero et usu verborum et sententiis moralibus, quod notionem εὐσεβίας habet eamque ad pietatem erga deos refert et postulat, ut perfectus vir ei studeat. Accedit quod illud σώφρων, ut iam commemoratum est, ad honestum quoque ab eo refertur. Bacchylides addit verbum ὅσιος ac de summo bono loquitur (fr. 3, 13): ὅσια δρῶν εὔφραινε θυμόν· τοῦτο γὰρ κερδέων

1) G. Bippart, Pindars Leben, Weltanschauung und Kunst. Jena 1848. — Dronke, Ueber d. religiösen und eth. Anschauungen Pindars. Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen. 14, 2 (1860) p. 68 sq. — E. Buchholz, Die sittl. Weltanschauung des Pindaros und Aeschylos. Lips. 1869. — U. v. Wilamowitz Moellendorff, Bacchylides. Berlin 1898. p. 13 sq.

2) Schmidt l. c. I p. 297. — F. Th. Welcker, Theognidis reliquiae p. XXIX vocabulum ἀρετὴ „apud Pindarum semper moralem sensum" habere iudicat.

ὑπέρτατον. Sed excellentis viri imago, qualem Pindarum sibi finxisse censendum est, perfecta non est nisi addita illa virtute, quae proprie de perfecto viro dicta est, dico *ἀνορέαν*, quae quidem vox moralem vim non habet, sed aperte ad corporis valetudinem spectat. Nobilis generis praestantia praeterea neglegenda non est, quoniam cum eo cetera bona coniuncta esse poeta existimat, quam rem ne ab Homericis quidem carminibus alienam esse commemoravimus.

Sequitur ut quaeramus, num Pindarus ita utatur vocabulo *ἀρετή*, ut eo significet hominis perfecti imaginem. Mihi quidem compluribus locis vocabulum ita usitatum esse videtur, ut Isth. VII (VIII) 48 verba *ἀρετὰν Ἀχιλέως* in universum de Achillis praestantia dici apparet. Item Isth. III 56, ubi Homerus omnem Aiaci laudem praestantiae posuisse dicitur (*πᾶσαν ὀρθώσας ἀρετάν*), vocabulum *ἀρετὰ* in universum praestantiam declarat. Fortasse comparari potest Py. I. 94 *οὐ φθίνει Κροίσου φιλόφρων ἀρετά*, de quibus verbis supra egimus.

Atque ea re Pindari usus differt ab Homeri, quod significatio gloriae in huius carminibus non tam usitata est quam in illius. Praeterea lyricus divitias non declarat voce *ἀρετή*, quem usum non solum in Homericis carminibus inveniri, sed etiam in Tyrtaei et in Theognidis illa elegia commemoratum est [1]). Cum sic differant divitiae a notione vocabulo *ἀρετὴ* subiecta, et apud eum et apud alios saepe opponuntur [2]); e qua re concludi non potest verbo *ἀρετὴ* semper honestatem notari. Denique si recte monuimus in Homericis carminibus suam cuique hominum generi praestantiam tribui videri, in Pindaricis locum invenimus, quo haec distributio certius ostenditur et Platonico loco (Men. 71 E) similior est, dico versum Ne. III 71 *ἑλᾷ δὲ καὶ τέσσαρας ἀρετὰς ὁ θνατὸς (μακρὸς* D) *αἰὼν, φρονεῖν ἐνέπει τὸ παρκείμενον* (humana vita etiam quartam virtutem habet, sapere in loco), ubi antea agitur de variis rationibus, quibus aliquis inter sui pares excellere possit, puer inter pueros, vir inter viros, maior natu inter maiores. En habes quattuor illas virtutes primarias!

---

1) Pind. Ol. II 59 *ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαλμένος*. Py. V 1 *ὁ πλοῦτος . . . ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμμένον καθαρᾷ . . . ἀνάγῃ*. Bacchyl. 1d 21 sq. (ed. Blass.) *φαμὶ καὶ φάσω μέγιστον κῦδος ἔχειν ἀρετάν. πλοῦτος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖ*.

2) cf. Hesiodi Opp. 313. — Solon fr. 14 (15), 3. — Phocyl. fr. 8 (10). — Theogn. v. 867. — Simonid. [38 (19)]. — Europ. Or. 799 (K.); fr. 163, 2; 232; 527, 2; 960; 1029. — Gorgiae Palam. § 32. — Plat. Apol. p. 30 B. — Aristotelis carmen 5 (6).

F. Huemmerich (Comment. Philol. Monachii 1891 p. 125 sq.) „cum placitis Pythagoreorum de praestantia numeri quaternarii hanc distributionem cohaerere“ existimat; ea re nititur, quod secundum Theonis testimonium (math. p. 98, 13 ed. Hiller) in quattuor spatia diviserunt vitam humanam Pythagorei. Sed ad hanc τετράκτυν respicere Pindarum verisimile esse mihi non videtur. Nam ut omittam, quod dubium sane est, utrum illis temporibus iam Pythagorei illam τετράκτυν in doctrinam receperint nec ne, si cum Huemmerichio θνατὸς legimus, numerus aetatum quaternarius laeditur. Nullo autem pacto ἀρεταὶ ad virtutes, quales habuit Plato, referenda sunt. Potius ex praeceptis, quibus ludi et certamina ad regulam dirigebantur, poetam illum aetatum numerum ternarium hausisse mihi persuasi, quoniam cum aequalibus quisque certabat. Praeterea cum Pindarus de tribus virtutum generibus loquatur, quorum alterum cum altero coniunctum non est, haec non sunt moralia, cum morales virtutes ab omnibus postulentur. Itaque haec tria genera confundenda non sunt cum ea praestantia, quam omnes habere debent. Atque haec est virtus, quam praeter illa genera commemorat poeta, τὸ φρονεῖν τὸ παρκείμενον; haec aperte idem valet quod σωφροσύνη. Concludendum igitur est poetam non discrevisse has duas ἀρετῶν species. Hanc rem ceteris quoque huius, de quo agimus, carminis locis observamus, ubi legitur nomen ἀρετά, quamquam in nullo carmine copiosius quam in hoc de praestantia loquitur poeta. Nam v. 8 (στεφάνων ἀρετᾶν τε δεξιωτάταν ὀπαδόν sc. ἀοιδάν) in universum quidem de rebus praeclaris agit, ut saepe facit, sed id ipsum obstat, quominus ad honestatem referamus verba, cum quarta illa virtus v. 71 aperte moralis sit. Idem fere atque v. 8 est usus v. 31, ubi de Pelei excellentia agitur, quae magnis rebus perfectis ostenditur; v. 40 μυριᾶν δ' ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται „sescentis rebus inconstanti animo excellere studet“ sc. is, opinatur poeta, cui deest generis nobilitas (ἀρετά) cf. Ol. XI (X) 21 φύντ' ἀρετᾷ ποτί; Ol. II 22 γνήσιαι ἀρεταί; Ol. IX 107 τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν· πολλοὶ δὲ διδακταῖς ἀρεταῖς κλέος ὥρουσαν ἀρέσθαι „quidquid natura cuique contigit, optimum (κράτιστον) est, etsi homines multi virtutibus doctrina comparatis excellere student“ (Boeckh). Videntur igitur virtutes (ἀρεταί) etiam sine nobili genere comparari posse, sed facultates magis significari[1]). Ne. III 71 quo-

1) cf. Bacchyl. 13, 8 μυρίαι δ' ἀνδρῶν ἀρεταί. μία δ' ἐς κοινὸν προκεῖται, ὅς τὸ πὰρ χειρὸς κυβερνᾷ τις δικαίαισιν φρένεσσιν (Jurenka). cf. Pind. Ne. III 71.

que non accurate discernere poetam commemoravimus. Neque credi potest pluralis significationem mutatam esse, nisi in singularis usu quid mutatum vel ambiguum est.

Dubium igitur in Pindari quoque carminibus esse videtur, utrum praestantia sit res natura data an labore et artibus comparata. Neglegendum autem non est, ut recte notionem ἀρετῆς cognoscamus, eam virtutem, quae in certaminibus et ludis cernitur, in Pindari et Bacchylidis carminibus plerumque significari illo vocabulo (cf. Rumpel, lex. Pind.). Quare corporis valetudo et agilitas, quippe quibus virtutibus excellentia ostendi possit e poetarum sententia, nobis respiciendae sunt in imagine perfecti viri delineanda. Non solum corpore robusto sed etiam animo forti opus fuisse eis, qui arte gymnastica et ludis excellere studebant, nec Pindarus nec ceteri Graeci cognoverunt excepto uno Platone, qui animi gratia corpus exercendum esse docebat[1]). Atque hanc ob causam eidem cui Homerus gradui annumerandus esse videtur Pindarus, quod corporis praestantiam magni momenti esse putat in notione vocabuli ἀρετή. Hoc iam ab initio sentimus, ubi de Achillis vel Aiacis excellentia poeta loquitur. Itaque quantumcumque honesti reperitur in Pindarica notione vocis, moralem eam esse statui non potest.

Non aliter res se habere videtur in Sophoclis fabulis, de quibus paucis agere liceat. Aeschylus enim omittendus est propterea, quod si Lindwoodii (London 1847) et Dindorfii (Lips. 1873) lexicis satis confidere nobis licet, vocabulum ἀρετή non legitur in eius reliquiis praeterquam in Libanii verbis, quae affert Nauck sub numero 340 (trag. fragm.[2]). Ex his certi aliquid concludi non potest. Hoc loco quae Sophocles de rebus moralibus senserit, accuratius inquirere supersedeo[2]). E sermone eius videmus imagine perfecti viri contineri εὐσέβειαν, τὸ ὅσιον εἶναι, σωφρονεῖν, si ad mores respicimus. Vocabula σοφίη et ἀνδρεία inveniuntur quidem apud eum, sed moralem vim non habent. Addenda autem est, ut omnem notionem praestantiae expleamus, corporis valetudo (cf. Ai. 619 ubi de

---

1) cf. Rep. III 410 B: *Αὐτὰ μὴν τὰ γυμνάσια καὶ τοὺς πόνους πρὸς τὸ θυμοειδὲς τῆς φύσεως βλέπων κἀκεῖνο ἐγείρων πονήσει μᾶλλον ἢ πρὸς ἰσχύν.* cf. 410 C sq. cf. K. Koch, Die Erziehung zum Mute. Berlin 1900. p. 6.— Notum est vel secundum Aristotelis sententiam bellica virtute bonos mores augeri. cf. Pol. II 6. 1270 a 5.

2) cf. F. Lübker, D. sophocl. Ethik. Kiel 1851 et 1855. — Dindorf, Lex. Sophocleum. Lips. 1870. — Dronke, Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylus und Sophocles. Fleck. Jahrb. 4. Suppl. p. 1 sq.

infelici Aiace dicitur τὰ πρὶν δ' ἔργα χεροῖν μεγίστας ἀρετᾶς). Praeterea, id quod maximi momenti est, in Sophoclis fabulis pariter atque in Homeri et Pindari carminibus vocabulo ἀρετὴ significantur genera excellentiae monstrandae sive in bello sive bonis moribus, ipsaque notio praestantiae non pertinet ad habitum aliquem aut ad facultatem, sed ad naturam, id quod supra commemoratum est, ubi de loco Phil. 1420 egimus. Hoc autem indicium est notionis epicae. Quod Sophoclea notio adeo cum Homerica cohaeret, mirum non est in eo poeta qui praeter ceteros φιλόμηρος dictus est; atque etiam Aristoteles in carmine, quo celebrat Virtutem (carm. 5), Homericum vocabuli ἀρετὴ usum secutus est, ut docet Wilamowitz (Aristoteles u. Athen II p. 411). Praeterea constat tragicum multa verba in proprium eorum sensum usurpare.

Accedit quod haud scio an non semper quae ipse sentit Sophocles dicentes faciat eos, quos producit in scenam, sed pro suis quemque moribus et ingenio loquentes faciat. Certe Euripidem hoc fecisse vel magis consentaneum est. Is ut qui non minus philosophus fuerit quam poeta, quid de praestantia senserit, paucis hoc loco exponere mihi liceat [1]). Etenim notio epica minime ab eo aliena est; attamen multis locis moralis quoque notio apud eum invenitur, ita ut duae notiones apud eum discernendae esse videantur, et epica et moralis. Dicam quod sentio: ubi Euripides profert, quid ipse existimet, philosopha ἀρετῆς notione utitur, qua habitus honestus continetur, at reliquis locis epicam notionem eos adhibentes facit, quorum mores sententiasque ea re designare studet. Atque, id quod vix exspectaveris, in diverbiis multo rarius quam in canticis epica notio agnoscenda est.

Paucis exemplis poetam ita illo vocabulo uti ostendamus, ut alii loci cum Homerico usu seu componi possint seu componendi sint, alii non possint. Homerica fere sonant Thesei verba, quae supra (p. 20) commemoravi, Suppl. 597 sq. ubi dicit heros, praestantiam solam non usui esse mortalibus nisi dii adiuvent; antea dixerat a deis iustum hominem iuvari ideoque plus valere quam quamvis potentem hostem. Ergo putabit ille non in iustitia positam esse praestantiam, sed excellentem eum quoque haberi posse, qui ius laeserit nec a deis adiuvetur. E nexu autem sententiarum apparet hoc loco ad bellicam virtutem spectare ἀρετὴν plane omissa morali

1) cf. F. Lübker, Beiträge zur Theologie u. Ethik des Euripides. Parchim 1863. — De usu vocabuli ἀρετὴ cf. Matthiae, Lexicon Euripideum. Lips. 1841. — Fabularum locos affero secundum Kirchhoffii editionem. Berol. 1855; fragmenta secundum Nauckii fragm. trag.² Lips. 1889.

indole. Manifestum est poetam ita sentientem facere Theseum, ut heroes apud epicos poetas sentiunt, ideoque epicam notionem in mentem ei venisse.

Neque est cur cum Homerico usu non componamus versus Andr. 756 sq. quibus chorus iis, qui genere nobili orti sunt (*εὐγενέταις*), tum divitias attribuit tum facultatem res adversas fortiter ferendi arcendique et gloriam acquirendi et conservandi. Hanc nobilium indolem chorus dicit *ἀρετάν* (v. 763). Item chorus Alc. 612 admiratione afficitur nobilium (*ἀγαθῶν*) prudentiae (sic enim *σοφία* vertenda est) et honestatis. Hanc praestantiae notionem epicam esse quis est qui neget? Pariter epicorum morem sequitur chorus, ubi vocem *ἀρετὴ* ad Herculis res egregie factas refert Herc. f. 357 et Heracl. 624, neque enim de ulla re minus cogitat quam de honesto erga genus humanum beneficio.

Sed quoniam inter alia animi et morum quoque praestantia continetur epica notione, sicut ξ 402 *ἀρετὴ* ad hospitum cultum pertinet, mirum non est, quod chorus Heracl. 775 vocem eo sensu usurpet, qui contrarius fere esse videatur ei, quem Suppl. 597 habet. Dicit enim *οὐ γὰρ ἐμᾷ γ' ἀρετᾷ δίκαιός εἰμ' ἐκπεσεῖν μελάθρων* (fas non est me domo expelli propter praestantiam meam sc. propter benignitatem erga Heraclidas patria expulsos). Etenim illo loco robur declaratur voce *ἀρετὴ* omisso iure, hoc ius et moralium praeceptorum obsequium; omnino enim de ipsorum robore non cogitant senes debiles, sed cum in universum de Atheniensium praestantia loquantur, statuendum non est tantopere praevalere moralem vim, ut contra epicum usum ea verba dicta sint.

Contra nullo pacto cum Homerico usu congruunt verba Andr. 208, ubi de mulieribus Andromacha dicit

οὐ τὸ κάλλος, ὦ γύναι,
ἀλλ' αἱ ἀρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας.

Manifestum est e nexu sententiarum nomine *ἀρεταὶ* cum alias morales virtutes notari tum amorem coniugum. Item Andromacha v. 226 dicit se coniugis animum sibi conciliavisse praestantia (*ἀρετῇ*) sua, quae aperte est patientia et amor. Atque constat pulchritudinem epica aetate inter *ἀρετὰς* haberi, ut Penelopa σ 251 (cf. τ 124) dicit: *ἦ τοι ἐμὴν ἀρετὴν, εἶδός τε δέμας τε, ὤλεσαν ἀθάνατοι.* Eo igitur Euripides differt ab Homero, quod corporis statum neglegit. Accedit quod Suppl. 1066 *ἀρετὴ* ad coniugum amorem pertinet et respondet verbis *φρενῶν εὐβουλία*, cum opponatur *ἔργοις Ἀθάνας;* quare ne artificium quidem mulieris *ἀρετὴ* dici videtur.

Quantum differat Euripides ab Homero, eo potissimum loco cerni potest, ubi Amphitryo se cum Iove comparare audet. Nam Herc. f. 342 deum adloquitur

ἀρετῇ σε νικῶ θνητὸς ὢν θεὸν μέγαν.

Dicit enim deum, quamquam commiserit adulterium, tamen filii liberos et mulierem non tueri, se autem liberos non prodidisse. Itaque propterea, quod iustiorem se esse putat (cf. v. 347 *ἀμαθής τις εἶ θεός, ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς*), praestantior Iove esse sibi videtur. Homerus nemini umquam mortalium maiorem quam deo *ἀρετὴν* tribuere potest, immo I 498 Phoenicem admonentem facit *τῶν* (sc. *τῶν θεῶν*) *περ καὶ μείζων ἀρετή, τιμή τε βίη τε* Achillem, quo scilicet neminem mortalium maiorem *ἀρετὴν* habere poeta putat. Potius enim ad florentem statum spectat.

Neque mirum est quod Euripides, qui philosophis aetatis suae operam dederat, eorum doctrinam secutus ipse ad honestum habitum refert praestantiam. Eam in prudentia et intellegentia positam esse secundum eius quoque sententiam apparet e verbis, quae modo attuli, Herc. f. 347 (cf. Wilamowitz, Herakl. II² p. 80) et e Suppl. 1066 (ubi *ἀρετὴ* par est *τῇ φρενῶν εὐβουλίᾳ*) et e fr. 909, ubi *ἀρετὴ* pro verbo *νοῦς* ponitur; in eodem fragmento synonymum est *σωφροσύνῃ*, qua virtute omnem fere virtutis notionem contineri apud illum Luebker (l. c. p. 44) exponit. Recte hoc dixisse mihi videtur, siquidem *σωφροσύνην* ad eam animi sanitatem referimus, qua quis rectum cognoscit et facit. Apud Euripidem cum, id quod supra dixi, duae *ἀρετῆς* notiones discerni possint, non est mirum, quod morales sententiae interdum inter se discrepant. Ita ex versibus fr. 446 concludendum esse videtur poetam *εὐσέβειαν* in summarum virtutum numero habere, cum ea hoc loco posita sit pro nomine *ἀρετὴ* et saepe aliis locis commemoretur. Rectius autem putandum est hoc loco non quae ipse sentit exprimi, sed quae is, qui loquitur, sensisse poetae videtur. Alio loco Iph. Aul. 1088 et 1091 ita *ἀρετὴ* cum voce *αἰδὼς* coniungitur, ut *αἰδὼς* inter *ἀρετὰς* habenda sit, ibi enim spectat ad pudorem, quo sanctas leges morales laedere vetamur; item fr. 497,4 iustitia est *ἀρετή*.

Quoniam ex eis, quos attuli, locis demonstratum est apud poetam praestantiae notionem in virtutibus quae dicuntur moralibus positam esse, apparet eum nec corporis virtutem nec divitias nec

nobilitatem generis tanti aestimare potuisse[1]). Quodsi in fragmentis (853) tres virtutes coli vult, ut honor tribuatur deis, parentibus, Graeciae communibus legibus, consentaneum est poetam non enumerare eas virtutes, quas pro principalibus habet. Quamquam apparet moralem ἀρετῆς notionem hoc quoque loco agnoscendam esse, tamen vulgarem fere sententiam poeta exprimit.

Atque haec quidem hactenus. Epicam notionem nunc relinquamus. Certe autem quamdiu corporis valetudo alicuius momenti est in notione praestantiae, honestas non tanti habetur, quanti debet. Cuius rei causa minus ea est, quod honestas non satis magni aestimatur, quam quod homines de rebus moralibus parum meditantur neque eas sententias, quas a patribus acceperunt, commutare audent.

Caput tertium.

Vocabuli ἀρετὴ notio politica et vulgaris.

Apparet quomodo fieri potuerit, ut excellentiae notio mutaretur: poetae, quos modo tractavimus (excepto Euripide, qui a ceteris differt propter philosophiae studium) erant optimates et inter optimates carmina canebant. Itaque minus de temporibus et rebus praesentibus cogitabant, sed plerumque in laudandis rebus gestis maiorum versabantur[2]). Hoc duabus potissimum de causis videtur factum esse, primum quod victum labore non quaerebant, deinde quod factiones rei publicae minime curabant. Contra Hesiodus et Solo ceterique poetae elegiaci, pariter ac lyrici Lesbii, potius ea, quae ad ipsos pertinebant quaeque ipsi cogitabant de rebus praesentibus, in carminibus elocuti sunt. In his ea, quae praeter optimates et eos, qui ab optimatibus stabant, Graeci eis temporibus sentiebant, in lucem prolata sunt.

De Hesiodi carminibus unum illud, quod Opera et Dies inscribitur, perscrutandum est, nam in ceteris nec vocabulum ἀρετὴ invenitur neque ex eis satis intellegi potest, quae poeta de rebus moralibus iudicaverit. In illo carmine Hesiodus id fere exposuit, quae vulgus cogitabat. Atque cum ea aetate populares eius nulli rei

---

1) Quod dicit fr. 15, 3 pulchritudinem corporis summam esse virtutem, quis est qui ex ipsius poetae iudicio dictum esse existimet? Potius ipse iudicat fr. 527 divitiis neminem acquirere posse *γενναιότητα κἀρετήν*.

2) Hoc admonet R. Peppmueller, Hesiodus ins Deutsche übertragen und mit Einleitungen und Anmerkungen versehen. Halle 1896. p. 149 sq.

magis studerent quam agriculturae, quid mirum, quod res rusticanas potissimum tractabat et sententias satis rusticas proferebat. Nihilominus eum de rebus quoque moralibus satis multum meditatum esse ex eo apparet, quod plurima praecepta moralia in carmine inveniuntur. At quae praecipit, non ob eam causam postulat, quod ea honesta esse putat; sed quae utilia esse vita et rebus ipsis edoctus ipse cognoverat, ea homines docet. Sic nobis ius (*δίκην*) observandum esse dicit, ne ipsi laedamur, victum quaerere nos iubet, ne fame pereamus, deorum numen violare vetat, ne poenam demus. Ex his utilitatis praeceptis quomodo moralia facta sint, cum ex aliis rebus tum inde perspicitur, quod tempore opportuno utendum esse poeta dicit, quam rem postea a deis postulari Graeci credebant (cf. Schmidt l. c. II p. 276). Atque ad res utiles refert vocabula *ἄριστος, ἐσθλός, ἀγαθός;* hoc saepissime fit in ultima carminis parte, quae ut videtur recentior habenda esse, ita hac in re cum Hesiodo ipso consentit. Tamen Hesiodum de eis rebus, quae hominum saluti utilia sint, diligenter quaesivisse ex eo apparere Peppmueller (l. c. p. 171) recte vidit, quod contra vulgarem opinionem docet [1]) hominem corpore pulchrum non semper bonis moribus esse. In huius igitur poetae carmine quae subiciatur notio vocabulo *ἀρετή*, nunc quaeramus.

Nimirum virtutum primariarum nomina non leguntur in Hesiodi carminibus [2]). In imagine perfecti viri iustitia, quam nos dicimus, habenda esse non videtur. Nam ius observandum esse docet, quod Iuppiter hoc iubeat hominum commodi causa; per se homines, ut iuste agant, commoveri poeta non arbitratur, etsi iniustos homines ut impios poenam dare dicit. Neque honesti quidquam magni aestimat nisi industriam et religionem, quacum cohaeret ea prudentia, qua cognoscuntur res ad vitam feliciter agendam utiles, siquidem hoc ex ea re concludi licet, quod fratrem nomine stulti appellat. Certe Hesiodus ab Homero eo differt, quod corporis valetudinem minoris habere videtur, cum nullo loco de ea agat, sed nimirum ea

---

1) v. 714 *σέ τε μή τι νόον κατελεγχέτω εἶδος.* Vulgarem sententiam exprimit Sappho fr. 32 (101). — Ceterum Homerum quoque ab hoc vulgari iudicio dissentire notum est (cf. Θ 166 sq.).

2) In Certamine, quod dicitur, omnia exstant atque eandem vim habent quam in philosophorum sermone praeter substantivum *σοφίη*, quo ars poetica quoque significatur, quae res nobis non tam mira est quam Clementi Al. Strom. I p. 121 Sylb. Has ergo philosophas notiones veteribus poetis supponere veritus non est is, qui hoc opus composuit.

opus est ei, qui labore divitias adipisci cupit. Divitiae autem Hesiodo non sunt nullius pretii[1]), immo iis quam maxime studet. Nam fratrem adhortans, ut industrie laborans pecuniam quaerat, dicit (v. 314):

πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ

atque addit praeferendam esse vitam laborum quamvis plenam vitae mendicantis. Quo loco moralem vim habere ἀρετὴν ne Peppmueller quidem putat, quamvis Hesiodum primum honestatem illa voce significasse altero loco (v. 289) praedicet; sed, sicut Schmidt, vocabulum ad auctoritatem vel honorem refert, ubi verba illa vertit. Contra Koestlin (griech. Ethik I p. 146) de facultate multas res efficiendi et perficiendi hoc loco agi iudicat. Si proficiscimur a genuina vi, primum quidem videtur Schmidtii et Peppmuelleri sententia comprobanda esse, etsi secundum antiquum usum verbi divitiae quoque in virtutum numero habentur. Sed sane honor non significatur illo vocabulo nisi is, qui tribuitur excellenti cuidam naturae; itaque poeta sentiat necesse est hominis naturam meliorem reddi divitiis. Propterea cum Koestlinio ἀρετὴν potius ad eum statum referimus, quo aliquis inter cives suos aliquid valet, propterea, quod homo dives alios iuvare et iuvari et reges illos donorum avidos sibi conciliare potest. Perfectos autem mores secundum Hesiodi sententiam ad industriam, religionem, prudentiam pertinere statuimus, quibus ei studendum esse poeta dicit, qui nondum dives est. Valet igitur genuina ἀρετῆς notio, nam laus excellentiae ei tribuitur, qui in vita excellit non moribus, sed fortuna, neque ideo omnes praestantiae participes fieri possunt. Tamen apud eum cohaeret notio praestantiae cum sententiis moralibus. Etenim poeta verbo ἀρετὴ non solum eum statum declarat, quem cum studio dignum tum singulis hominibus utilissimum esse censet, sed ut perfecti viri alios iuvent, postulat, i. e. ut aliis utiles fiant; apud Homerum quoque utilitatem valere in laude praestantiae alicui tribuenda supra commemoratum est. At honestum Hesiodo cordi esse statui non potest.

Iam accedamus ad celeberrimum illum locum, quo Hesiodus de praestantia agit, dico v. 289

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

Notum est huic ἀρετῇ opponi κακότητα, ad quem statum pervenire facillimum esse poeta dicit. Veteres hunc locum, quo nullus

1) fr. 222 Goettl. verba ἀλκὴ et νοῦς et πλοῦτος ita inter se opponuntur, ut singulis praestantia contineri videatur; ad Hesiodeam autem praestantiae notionem hoc non pertinet, quia non de cotidiana vita agitur sed de heroibus.

saepius affertur a scriptoribus, ad honestatem [1]) ut videtur referre solebant; nunc viri docti virtutem notari putare neque, quid de ea notione sentiant, indicare solent [2]), excepto uno Peppmuellero (p. 165 sq.), qui summis laudibus poetam effert, quod primus Graecorum honestatem hoc vocabulo significaverit. Sed quamquam Od. ξ 402, ubi de hospitum iure agitur, moralis vocabuli ἀρετὴ vis esse videbatur, neque in versu ϱ 322 multum abesse ab hac significatione, tamen vix credibile esse primo obtutu apparet hominem, qui semper ad utile respiciat, primum omnium repperisse in honestate veram excellentiam esse positam. Neque verbis ipsis cogimur, ut moralem vim hoc loco statuamus. Nam vocabulo κακότης turpitudo minime declaratur. Ita enim Homerus eo utitur, ut res adversas significet, ut τ 360, quem versum in Hesiodi carmen inlatum esse Brunck statuit (Opp. 93 αἶψα γὰϱ ἐν κακότητι βϱοτοὶ καταγηϱάσκουσιν), itemque refert Hesiodus Scut. Herc. 42 ad maerorem; praeterea apud eum non legitur nisi Opp. 740, ubi moralem vim fortasse habet, sed tota illa carminis pars recentior habenda est [3]). Adiectivum κακὸς quidem, quod plerumque noxium notat, potest opponi verbo δίκαιος, quo fit, ut moralem fere vim interdum habere videatur. Propterea si respiciemus ad eum locum, de quo modo egimus (v. 313), ubi praestantiam nisi cum divitiis coniunctam poeta non cogitat, hoc quoque loco moralem vim non habere vocem ἀρετὴ haud dubie iudicabimus. Itaque Welcker (Theognidis reliquiae p. XXIX) censet „de potestate et opibus, dignitate et auctoritate usurpari". Schmidt (p. 296) vero κακότητα interpretatur verbis: inertia cum rebus adversis coniuncta, et id quod opponitur: vigor et industria, quibus adipiscitur aliquis quod sibi proposuit. Sed hanc interpretationem sequi prohibemur iis rebus, quas ad v. 313 protulimus, atque Welckeri sententia magis placet. Ergo poetam iudicamus Persen fratrem hoc quoque loco hortari, ut cum industria laboret. Quam rem primo quidem insolitam et molestam esse poeta dicit, sed postea consuetam et quamvis duram tamen iucundam fieri propterea, quod opes sic acquirantur (cf. v. 311 sq.). Itaque illo loco neque agitur de facultatibus illis doctrina comparatis (διδακταὶ ἀρεταί), quas

1) Rzach in editione sua locos affert. Xen. Mem. II 1, 20 ad honestatem non refertur, sed ad vitam cum excellentia gerendam; Plat. Rep. II 364 C ad eam quam vulgus sentiebat honestatem, maxime iustitiam.

2) Sic Zeller, Ph. d. Gr. I a[5] p. 105; Ziegler l. c. p. 21; Köstlin p. 147.

3) cf. A. Kirchhoff, Hesiodos Mahnlieder an Perses. Berlin 1889. p. 74 sq.

condemnat Pindarus, neque de praestanti natura, quoniam „fortuna non mutat genus“, sed de eo habitu, quo honorem et auctoritatem sibi aliquis comparat neque salutem suam neglegit. Ergo quamquam industriam, religionem, prudentiam ne divitem quidem deficere oportet, in iis ipsis praestantia posita non est secundum poetae sententiam.

Atque hac re Hesiodum superat Solo, qui propterea facilius de rebus moralibus accurate deliberare et aliquid reperire poterat, quod in re publica administranda versabatur. Nam Solo non modo ipse rem publicam capessiverat sed etiam carminibus suis persuadere conabatur civibus, ut quod vellet facerent. Ita cogebatur de multis rebus iudicium facere, quae ab iis poetis, quos adhuc tractavimus, non ita considerabantur. Neque enim Hesiodus in re publica, quae eo quidem nomine digna esset, vixit, cum praeter iudices illos donorum avidos de nullo publico instituto neque de amore patriae loquatur; quas res Solo in plurimis quae exstant fragmentis tractat. Concedendum certe est Hesiodum magis quam Homerum id spectare, ut alter alterum iuvet, et Sophoclem existimavisse communem salutem privatis necessitatibus potiorem habendam esse [1]). Sed cum Solone ex iis, quos tractavimus, unus Tyrtaeus, quem ducem Lacedaemoniorum fuisse Strabo (VIII 362) e carminibus eius colligit, cum propter alias res tum propter sententias morales componi potest. Wilamowitz (Aristoteles u. Athen II. p. 304) ea re poetas differre affirmat, quod Spartae rex omnium optimatium loco exercitum adloquatur, Atheniensis autem civis suas sententias proferat. Accedit quod ille ab optimatibus, hic a plebe stabat. Atque corporis valetudinem ac virtutem bellicam Athenienses non minoris habuisse quam Lacedaemonios cum ex aliis testimoniis cognoscitur tum ex Solonis loco, de quo paulo infra nobis agendum erit; Tyrtaeus vero robori corporis magnum in praestantiae notione momentum non tribuit, et eam ob rem pluris quam Solo aestimandus est, quod magis communi saluti studet.

Pariter enim atque Tyrtaei elegia *Εὐνομία* inscripta fuisse traditur, Solo quidem talem rei publicae statum ideoque obsequium legum et iustitiam laudibus effert. Neglecta iustitia ne maximas quidem divitias hominibus utiles esse scit, cum malis moribus pereant. Tamen opes non nullius pretii habet [cf. fr. 12 H. (13 B.) praecipue v. 7: *χρήματα ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι οὐκ ἐθέλω* [2])]. Quaerentibus nobis, quas virtutes perfectum virum habere existimet,

1) cf. Dronke l. c. p. 94 sq. (Ant. 182 sq; O. T. 322; Ph. 14; 22).

2) Plato Socratem opes contemnentem facit Phaedr. 279 B: *πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν*; quae res non plane aliena est a Solone cf. fr. 12 (13), 70.

primum illud τὸ δίκαιον εἶναι commemorandum est cum eum, qui morum legumque praecepta laedat, semper poenam solvere persuasum habeat[1]). Atque hanc ob causam iustitiam pluris ducit quam opes. De aliis virtutibus non loquitur nisi forte de amore patriae, neque est cur eas commemoret, praesertim cum in eius iustitiae notione omnis honestas posita sit. Neque de pietate erga deos loquitur, etsi deos aliquotiens commemorat; quare statui non potest Solonem veram pietatem erga deos, quamvis eos colat, in summarum virtutum numero habuisse.

Haec de sententiis et vocabulis moralibus praefanda esse mihi videbantur. Iam accedamus ad ipsum vocabuli ἀρετὴ usum. Ac primum quidem de elegia 27, quam iam supra commemoravimus, agendum est. Nam cum Wilamowitzio (l. c. p. 314 sq.) nunc quidem eam Soloneam esse sumimus. Similiter atque Pindarus Ne. III 69 de tribus humanae vitae partibus loquitur, Solo in decies septenos annos vitam dividit. Sed cum Pindarus suam cuique parti excellentiam (ἀρετήν) tribuat, Solo de uno praestantiae genere loquitur.

v. 7. τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς τις ἐν ἑβδομάδι μέγ' ἄριστος
ἰσχύν, ἣν τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.

(quarta autem hebdomade omnes maxime excellunt robore, quod indicium praestantiae homines habent). Hanc praestantiae notionem ad bellicam virtutem pertinere primo quidem obtutu eo magis censeri potest, quod haec virtus alii aetati non tribuitur. Concedendum certe est vocabulum ἀρετὴ hoc loco neque ad honestatem referri neque ad valetudinem aut divitias. Ea res quoque videtur alicuius momenti esse, quod non suum de robore corporis iudicium profert sed vulgi[2]). Sed ne nimis audacter statuamus ex poetae sententia perfecto viro opus non esse corporis valetudinem, altero eiusdem elegiae loco admonemur, nam v. 15 legitur:

τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ
πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.

(nona hebdomade vitam quidem ducere homo potest, sed debilioribus est lingua et scientia, quam ut valde excellere possit). Dubitatur de illo μαλακώτερα, quod traditur a Clemente; praeterea exstat

1) K. F. Naegelsbach, Nachhomer. Theologie. Nürnberg 1857. p. 34 docet Solonem primum elocutum esse pro iis, qui vivi poenam non solverint, progeniem poenam solvere.

2) J. Heinemann, Studia Solonea. Diss. Berol. 1897. p. 21: „Solo homericum usum secutus ἄνδρας scripsit, ubi homines significarentur."

μετριώτερα, quod teneri non potest secundum virorum doctorum iudicium. Bergk, qui μαλακώτερα ferri non posse iudicat, μαλιώτερα scribi vult et sic interpretatur: „cum corporis virtute si componas, eloquentia et praestantia multum praestat sive potior est". Recte autem Sitzler (Berliner philol. Wochenschr. 1887. 357 sq.) hanc interpretationem negat probari posse, nam secundum poetae sententiam (cf. v. 13) septima et octava hebdomade ingenium et eloquentia (νοῦς et γλώσση) longe excellentissima sunt, postea autem non tantum valent. Sed quod Sitzler μαλερώτερα scribendum esse censet, credi non potest hoc verbo debiliorem statum significari, quem quidem sensum loco aptum esse ille vir doctus recte iudicat. Mihi quidem persuasum est traditum μαλακώτερα ferri posse, id quod recte se habere ut probet F. W. Schmidt (Verisimilia. Progr. Neustrelitz 1886 p. 1) locum Xenophonteum affert (Mem. I 2, 2), ubi et molle et debile declaratur. Ergo locus emendatione non eget, praesertim cum hic usus vocis μαλακός apud Homerum quoque reperitur [1]). Accedit quod vocabulum σοφίη ad animi naturam refertur (idem enim est quod νοῦς v. 13). Nam ante Solonem ad artificium et exercitationem spectat, ut in eius quoque fragmento 12 (13), 52 de arte musica usurpatur. Hoc loco igitur, de quo agimus, refertur ad eam artem, qua bene aliquis fungitur rei publicae muneribus. De hac enim re agitur tota elegia, atque totum locum sic interpretandum esse censeo: nona hebdomade virum deficiunt mentis facultates, quibus in civitate aliquis excellit. Ea autem, quae antecedunt (v. 8) interpretor: vulgus putat validum virum habere politicam praestantiam. Sic neque neglecta est bellica virtus, cum arte cohaereat in vulgi sententia cum facultate in civitate excellendi, neque poetam ipsum ad nihil nisi ad animi naturam spectare apparet.

Opes non commemorantur in hac elegia neque necessariae esse videntur perfecto viro. Hac re poeta differt ab Hesiodo. In Atheniensium re publica enim constituta Solonis legibus divitiae ei, qui excellere studebat, non tam opus erant, quam in Hesiodea civitate. Ceterum utrum huius carminis poeta optimatium an plebis partes tenuerit, certe cognosci non potest, neque in eo eae res, de

---

1) X 373 ὦ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ (sc. mortuus) ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ. Pariter adiectiva ἀβληχρός et μαλθακός, quae notione proxime accedunt ad illud μαλακώτερος, et molle et debile declarant cf. Doederlein, Hom. Gloss. III p. 44. Sic *P* 588 μαλθακὸς αἰχμητής. Θ 177 τείχεα μηχανόωντο, ἀβλήχρ' οὐδενόσωρα.

quibus saepe agit Solo, proferuntur, dico iuris laudem et divitiarum vituperationem. Tamen hanc ob causam illi carmen non potest abiudicari. Omnino notio *ἀρετῆς* coniuncta non est cum corporis rerumque statu florenti, sed tantum ad animum spectat, atque, opinor, ad animi facultatem, scilicet eam, qua in re publica gerenda aliquis excellit.

Iam si in animum revocamus et veteribus temporibus et Solonis aetate, ni fallor, a Graecis vocabulum *ἀρετὴ* usurpatum esse de bestiis et rebus, quibus non est animus, statuendum est a poeta mire ad unam rem referri vocabuli notionem. Id eo facilius fieri potuisse nobis apparet propterea, quod a primo artis et facultatis aliquid inerat notioni. Pariter ac verbum *σοφίη* illud *ἀρετὴ* refert poeta ad rem publicam. Quoniam nihil nisi rei publicae gubernationem magni aestimat, in ea positam esse veram excellentiam putat. Omnes Graecos, qui rei publicae muneribus perfungerentur, similiter sensisse consentaneum est; itaque ad hanc facultatem *ἀρετὴν* refero Theogn. 129

Μήτ' ἀρετὴν εὔχου, Πολυπαΐδη, ἔξοχος εἶναι
μήτ' ἄφενος· μοῦνον δ' ἀνδρὶ γένοιτο τύχη.

Sed redeamus ad Solonem, cuius fr. 14 (15) nunc nobis tractandum est:

πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

(Nam divitias habent multi homines mali, boni autem paupertatem tolerant; nos autem non mutabimus nostram praestantiam divitiis illorum, cum illa semper constans sit, opes autem alii aliis temporibus possideant.) Inter Theognidea (317 sq.) quoque hoc fragmentum legi notum est, ubi ad generis nobilitatem facile referri potest. Constat praeterea occurrere in Aristotelis libro, qui *Ἀθηναίων πολιτεία* inscribitur, c. 5, 3 (fr. 27 c Hiller.) aliam quandam Solonis sententiam huius persimilem, e qua, quae velit poeta, optime intellegitur. Denique Bergk affert locum Aristotelicum (Eth. Nic. X 9. 1079 a 10), e quo philosophum, siquidem horum versuum rationem habet, ad vitam modestam (*βεβιωκότας σωφρόνως*) eos rettulisse consentaneum est.

Ac primum quidem spectemus, num adiectiva *ἀγαθὸς* et *κακὸς* apud Solonem moralem vim habeant. Nam inde, quod *ἀρετὴ* et

πλοῦτος inter se opponuntur, vocabulo priore honestatem significari non potest concludi. Utique Solo praestantiae notione, qualem sibi animo confirmavit, superat Hesiodum. Wilamowitz (l. c. p. 305) notiones vocabulorum ἀγαθός et κακός morales esse in Solonis carminibus dicit. Sed de hac quaestione diiudicare propterea difficile est, quod in eius fragmentis excepto loco, de quo agimus, bis tantum ad homines referuntur illa vocabula[1]). Substantivum κακότης, ut alterum κακόν, non de inhonesto usurpatur, sed ita de imprudentia, ut plane ad mores non pertineat, nam legislator fr. 9 (11), 1 invehitur in cives, quia a Pisistrato se decipi passi sint (cf. Heinemann, Studia Solonea p. 15). Praeterea ea re, quod adiectiva κακὸς et ἀγαθὸς utroque loco coniuncta sunt, ubi de hominibus dicuntur [fr. 12 (13), 33 ἀγαθός τε κακός τε et fr. 32, 18 (36, 16) τῷ κακῷ τε κἀγαθῷ] adducimur, ut formula Homerica, qua coniunguntur, poetam usum esse censeamus, ubi omnes homines complecti vellet[2]). Neque nexu sententiarum moralis sensus postulatur, cum fr. 32 (36) dici videantur et ei, qui in re publica honoribus fruebantur, et qui contemnebantur, id quod ex aliis quoque fragmentis verisimile fit et quadrat ad eam praestantiae notionem, quam in fr. 27 invenimus. Fr. 12 (13), 33 poeta dicit homines errore ductos vitam gerere et bonos et malos, ubi poeta illa formula uti, non ad honestatem ea adiectiva referre mihi videtur. Ergo statui non potest moralem vim in Solonis carminibus habere verba ἀγαθὸς et κακός.

Tamen voce ἀρετὴ certe animi virtus significatur eo loco, quem tractamus, et ab Homerica iam propter eam rem differt Solonis notio, quod praestantia, quam dicit, non potest a diis facillime augeri vel minui (cf. Υ 242). Opponit praeterea Solo suam sententiam sententiae optimatium, qui antea ad publica munera administranda eligebantur secundum genus et Solonis temporibus secundum genus et divitias (ἀριστίνδην, postea ἀριστίνδην καὶ πλουτίνδην Aristot. Ἀθ. πολ. c. 1; 3, 1 et 6). Aliis locis poeta ubi de caducis divitiis

---

1) De rebus saepius adiectivum κακὸς vel πάγκακος, bis ἀγαθὸς ad utilitatem significandam usurpatur; fr. 12 (13), 67 et 69 εὖ et κακῶς de intellectu. De usu coniunctorum verborum ἀγαθὸς et δειλὸς in spurio versu fr. 12 (13), 39 certi quidquam iudicari non potest.

2) cf. Θ 63 δίδου δ' ἀγαθὸν τε κακόν τε. δ 237 Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ. δ 392 κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Ρ 632 ἢ κακὸς ἢ ἀγαθός. Hesiod. Opp. 669 ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε. Th. 906 ἀγαθόν τε κακόν τε. Saepe opponuntur verba apud Homerum et Hesiodum (ut Hes. Opp. 191, 346, 356, 703) vel simili modo coniunguntur.

loquitur, ius (*δίκην*) opponit intemperantiae (*ὕβρει*), qua divitiae perdantur; quocum convenit quod in versibus, de quibus agimus, praestantia (*ἀρετή*) cum iustitia (*δίκη*) coniuncta opponitur divitiis et intemperantiae. Nam cum intemperans et iniustus quisque puniatur, iusti poenam non solvunt neque perdunt, quod habent. Accedit quod fr. 12 (13), 70 id, quod dei donum dicitur, a dementia liberum esse (*ἔκλυσις ἀφροσύνης*) opponitur caducis divitiis. Ex hoc potissimum loco concludendum est aliquantum prudentiae opus esse, cui praestantiae laus tribuatur. Atque verisimile est hanc prudentiam vocabulo *σωφροσύνη* significare poetam, etsi neque hoc vocabulum neque adiectivum *σώφρων* legitur in eius fragmentis, invenitur autem in fr. 12 (13), 70 nomen *ἀφροσύνη*, quod est contrarium *σωφροσύνης*. Hanc virtutem commendat divitibus fr. 27 c verbis *ἐν μετρίοισι τίθεσθε μέγαν νόον*. Aristotelem quoque ita intellexisse Solonis sententiam commemoratum est. Accedit quod substantivum *κακότης* ad imprudentiam refertur fr. 9 (11), 1, hoc autem vocabulum semper contrarium sensum habet nomini *ἀρετὴ* ideoque saepe opponitur[1]), ita ut eius significatione uti possimus in quaerenda illius vi. Propterea vocabulo *ἀρετὴ* apud Solonem eam facultatem notari statuimus, qua aliquis vitam ita instituit, ut non intemperantia (*ὕβρει*) in res adversas perveniat, sed utatur iustitia et mentis sanitate. Quamquam igitur recte poeta eius modi notionem divitiis opponit, quas periculosas esse sentit, tamen retinet usque eo genuinam vocis notionem, ut res adversas vitari velit[2]).

Restat ut quaeramus, utrum ea *ἀρετῆς* notio, quam Soloneam esse elucet ex his quos tractavimus versibus, coniungi possit cum ea, quam in fr. 27 statuimus, dico facultatem excellendi in re publica, necne. Certe dici non possunt debiliores esse senes, quam qui iustitia et prudentia utantur, sed fortasse iam hoc loco admonere licet Platonem similiter Protagoram secum non consentientem facere eo loco, ubi in eius mytho ars gubernandae rei publicae confunditur cum honestate. De facultate quadam in utroque carmine agitur, non de corporis animique natura, itaque non est, cur propter usum verbi *ἀρετὴ* negemus eiusdem poetae esse fr. 27 et 14 (15).

---

1) Hes. Opp. 287 sq. — Theogn. 623. 1061. — Gorg. Palamed. § 16. — *κακία* opponitur: Plat. Men. p. 72 A. — Xen. Mem. II 1, 21 sq. (in Prodici narratione).

2) Similiter sentiebat is poeta, qui Solonem imitatus est, Theogn. 683

πολλοὶ πλοῦτον ἔχουσιν ἀΐδριες· οἱ δὲ τὰ καλά
ζητοῦσιν χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ κτλ.

cf. v. 1062.

Haec ars et prudentia fortasse moralis dici potest, id quod volunt Ziegler (p. 24), Koestlin (p. 156), Wilamowitz (p. 305), sed non possumus eam ad nihil nisi ad honestatem referre. Eadem facultas significatur vocabulo ἀρετὴ apud Theognidem 335

Μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· πάντων μέσ' ἄριστα καὶ οὕτως
Κύρν', ἕξεις ἀρετὴν, ἥντε λαβεῖν χαλεπόν.

Hanc Solonis notionem ἀρετῆς vulgarem factam esse videmus, vel potius dicendum est has duas notiones, quas in Solonis fragmentis reperimus, in vulgari coniunctas esse. Propterea ne temere iudicemus cavendum est in Theognideis, ad quae tractanda nunc accedimus. Atque usus, quem statuimus, aliis exemplis illustrandus et quaerendum est, quemadmodum illorum poetarum carmina inter se differant usu vocabuli ἀρετὴ. De sententiis moralibus, quae feruntur Theognidis, M. Schulze [1]) nuper copiose egit, quocum de interpretatione vocabuli ἀρετὴ semper fere consentio (cf. Schulze p. 9 sq.). Non semper eodem sensu vocem illam in Theognideis usurpari iam admonuit Welcker (Theognidis reliquiae, Francofurti a. M. 1826 p. XXIX) ac Sitzler (Theognidis reliquiae, Heidelbergae 1880 p. 32) quid velint verba *κακοί, δειλοί — ἀγαθοί, ἐσθλοί,* inquirit et sic inter ea, quae recte, quaeque falso Theognidi ascribantur, diiudicare conatur. Simili ratione Reitzenstein (Epigramm und Skolion p. 77 sq.) ex usu nominis ἀρετὴ diversos esse poetas exponit. Dicam quod sentio: in Theognideis tota, quam adhuc tractavimus, commutatio notionis ἀρετῆς [2]) agnoscitur. Homeri et optimatium enim usus reperitur v. 867, ubi vocabulum ἀρετὴ opponitur divitiis, quibus poeta dicit multos homines uti nescire, sed praestantiae gloriam non interituram esse, cum vir hastae peritus agros et urbem tueatur. Sane longe aliter hic opponuntur divitiae et virtus atque apud Solonem. Deinde omnino excellentia declaratur v. 971 *τίς δ' ἀρετὴ πίνοντ' ἐπιοίνιον ἆθλον ἑλέσθαι*, item 699; 654. Tyrtaei versus fr. 10 (12), 13 sq. leguntur 1003. Facultas autem vitae instituendae praeter eum locum, quem supra attulimus (335), etiam versu 1062 notatur, quo dicit poeta divitiis occultari id, quod *κακότης* nominat,

---

1) Der ethische Gedankengehalt der griech. Elegiker und Jambographen. Progr. Freiberg 1899. — Antea H. Bernhard, Theognis quid de rebus divinis et ethicis senserit. Diss. Vratisl. 1875. Is quidem semper moralem vim habere *ἀρετὴν* opinatur.

2) Loci insunt in indice editionis Sitzlerianae, ad quos adde 402, tolle 790. — Praeterea cf. Schmidt l. c. p. 296 sq.

paupertate autem praestantiam. Pariter Hesiodi admonemur versibus 402 sq.:

πόλλακι δ' εἰς ἀρετήν
σπεύδει ἀνήρ, κέρδος διζήμενος, ὄντινα δαίμων
πρόφρων ἐς μεγάλην ἀμπλακίην παράγει.

(saepe aliquem, qui opes et rectam vitae rationem quaerit, deus per inimicitiam in errorem abducit). Id quod traditum est εἰς ἀρετήν multis multi viri docti coniecturis sustulerunt, unus Bergk retinet. Ceteri enim opinari videntur opes cum praestantia coniungi non posse, atqui apud Homerum et Hesiodum artissime hae res cohaerent. Nec vocabulum ἀμπλακίη, quo dementia significatur, non pariter usurpatur atque in simili loco Soloneo [fr. 12 (13), 70] nomen ἀφροσύνη, itaque apte ἀρετῇ opponitur [1]). Item ad facultatem vitae recte gerendae refertur pluralis ἀρεταὶ v. 623. Apparet hanc notionem ex ea significatione ortam esse, quam vocabulum ἀρετὴ interdum habet in carminibus Homeri (O 642; X 268) et Pindari (Ol. IX 107; Ne. VIII 40), Simonidis [fr. 68 (84)] et Bacchylidis (13,8). Facultatem vitae recte instituendae, i. e. ita instituendae, ut salutem nostram in periculum non adducamus, arte cum iustitia cohaerere apparet, quoniam hac opus esse in conservandis vita et opibus cognitum est. Hanc rem in Solonis notione videmus. Optime vocabulum sic usurpari elucet e v. 1177

εἰ κ' εἴης ἔργων αἰσχρῶν ἀπαθὴς καὶ ἀεργός,
Κύρνε, μεγίστην κεν πεῖραν ἔχοις ἀρετῆς

(si turpes res neque passus eris neque feceris, Cyrne, summam praestantia scientiam habebis). Hanc notionem si cum facultate regendi rem publicam coniungimus — ex vulgi enim sententia cum ea coniuncta erat, quod in civitate nemo aliter vivere potest — efficitur notio vulgaris. Nam ea re, quod ratio recte vitam instituendi significatur voce ἀρετὴ, declaratur perfectum atque absolutum virum debere mala evitare [2]). Idem vult Agatho, cum iustitiam (δικαιοσύνην) interpretatur (Plat. conv. p. 196 B):

1) Similiter Phocylid. fr. 12 (14) πολλ' ἀπατηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

2) cf. Xen. Mem. II 6, 35 ἔγνωκας ἀνδρὸς ἀρετὴν εἶναι νικᾶν τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιοῦντα, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς. Plat. Men. p. 71 E αὕτη ἐστὶν ἀνδρὸς ἀρετή, ἱκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πράττειν, καὶ πράττοντα τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν. τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς. καὶ αὐτὸν εὐλαβεῖσθαι μηδὲν τοιοῦτον παθεῖν. Similiter apud Euripidem Medea (v. 804) se ipsam dicit βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ· τῶν γὰρ τοιούτων εὐκλεέστατος βίος.

οὔτ' ἀδικεῖ οὔτ' ἀδικεῖται. Atque ex hac re cognoscitur, cur prudentia tanti in moralibus Graecorum sententiis momenti sit.

Multum ab hoc usu differt significatio honestatis, quam vocabulum ἀρετὴ in Theognideis v. 1074 habere videtur. Nam hoc loco poeta Cyrno suo suadet, ut secundum eorum, quibuscum sit, mores sive bonos sive malos semper suos commutet, sicut v. 313 sq. haec ars describitur. Hanc vocabulo σοφίη significans poeta dicit: κρεῖσσόν τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς. Alicui qui eam praestantiae notionem habet, de qua modo egi, non opus est eiusmodi prudentia, ut qui qua est praestantia decipi non possit. Immo vero ad honestatem referendum esse nomen ἀρετὴ videtur, nisi eam ob causam, quod notio honestatis numquam vulgaris facta est, ad divitias referre magis placet.

Restat ut paucis verbis tangamus gravissimum locum v. 147

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν
πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

(iustitia continetur omnis praestantia, unusquisque est bonus, Cyrne, qui iustus)[1]. Priorem versum Usener (Jahrb. f. klass. Phil. 117 (1878) p. 69 sq.) iudicat pedestri oratione dictum esse atque ita ab Aristotele afferri (Eth. Nic. V 3. 1129 b 30). Atque notum est Theophrastum altero loco eum Phocylidi, altero Theognidi ascribere. Quod attinet ad notionem verborum, Solonis versus esse possunt, sicut ea verba, quibuscum coniuncti sunt, illius legislatoris verbis fr. 12 (13), 7 similia sunt. Constat enim iustitiam, cuius virtutis notionem modo tractavimus, pro vera excellentia a Solone aliisque habitam esse, ut Theogn. 465 (ἀμφ' ἀρετῇ τρίβου καί σοι τὰ δίκαια φίλ' ἔστω) et 1177. Sed iam supra (p. 6) commemoratum est ante Thucydidem non legi vocem δικαιοσύνη. Quam ob rem ante sophistarum tempus versum, de quo agitur, ortum esse nego. Platonicum quiddam eum sonare recte quidem admonet Schulze (l. c. p. 10 adn. 3), sed re vera a Platonis sententia differt, propter notiones, quae subiciuntur δικαιοσύνῃ et ἀρετῇ, siquidem vulgares sunt. Neque recte Phocylidi ascribitur fr. 8 (10) δίζησθαι βιοτὴν, ἀρετὴν δ' ὅταν ᾖ βίος ἤδη („virtus post nummos") siquidem eius est fr. 6 (8), ubi ad florentem statum vocabulum ἀρετὴ refertur[2].

1) Similiter Eur. fr. 909, 2 ἀρετὴ ὤνησε πολλάς, πᾶσα γὰρ ἀγαθὴ γυνή, ἥτις ἀνδρὶ συντέτηκε σωφρονεῖν ἐπίσταται.

2) Νυκτὸς βουλεύειν, νυκτὸς δέ τοι ὀξυτέρη φρὴν ἀνδράσιν· ἡσυχίη δ' ἀρετὴν διζημένῳ ἐσθλή. In Pseudophocylideis nimirum vocabulo ἀρετὴ honestas significatur (v. 67 et 163) et legitur nomen δικαιοσύνη (v. 229).

Iam ad investigandam sophistarum notionem *ἀρετῆς* accedendum est. In hac re non est, quod de Herodoto et Thucydide accuratius agamus. Namque ille Homericum usum sequi videtur [1]), apud hunc autem notio plerumque ad honestum spectat [2]). Rerum scriptores in enarrandis rebus facillime epica notione usos esse consentaneum est. Lange (l. c.) docet in orationibus Thucydideis multo saepius usurpari vocabulum *ἀρετὴ* quam in eis partibus, in quibus res gestae narrantur. Atque in orationibus illis non solum ad facultatem vitam feliciter agendi, non solum ad honestatem aut ad florentem statum aut virtutem bellicam refertur, sed ad omnia ea, quae civem et civitates decent secundum vulgi sententiam. Hoc optime perspicitur ex oratione funebri. Ea quae ibi a Pericle de virtute Atheniensium dicuntur, componi posse mihi videntur cum Platonis Menexeno deinde cum Hyperidis epitaphio et cum iis, qui Lysiae et Demostheni ascribuntur, denique cum fragmento Gorgiani epitaphii; quibus oratores sibi proposuerunt praestantiam virorum mortuorum laudare (Hyp. epit. § 1 *ὡς ἦσαν ἄνδρες ἀγαθοί*) neque ullius rei saepius mentionem faciunt quam *ἀρετῆς* [3]).

In Aristophanis fabulis epica notio invenitur, cum aut ad virtutum bellicam aut omnino ad corporis animique bona pertineat [4]).

E Platonis dialogis notionem sophistarum optime cognosci posse quis est qui nesciat. Sed vulgaris quoque notio apud eum invenitur. Hanc enim, ni fallor, Meno (p. 71 E sq.) profert (cf. Schmidt p. 299). Nam a Socrate interrogatus, quid notaret voce *ἀρετή*, suam cuique hominum generi praestantiam esse dicit: viris ac mulieribus, infantibus, et pueris et puellis, ac senibus, liberis ac servis, denique in

---

1) cf. Schweighaeuseri lexicon Herodoteum (cui magnam fidem non habendam esse haud ignoro): de hominum praestantia dictum ad bellicam virtutem et robur refertur cf. VII 89; VIII 92; pluralis I 176; IX 40.

2) cf. E. Lange, Die Bedeutung von *ἀρετή* bei Thukydides. Jahrb. f. klass. Phil. 145 (1892) p. 827 sq. — E. Meyer, Forschungen z. alten Geschichte. II. 370 adn. 2.

3) Exempli gratio affero in Hyperidis epitaphio duodevicies legi vocabulum *ἀρετή*, quod in ceteris eius reliquiis non reperitur; idem valet de vocibus *ἀνδρεία*, *ἐγκωμιάζειν*, *ἐπαινεῖν* aliis, unde apparet in epitaphiis eiusmodi vocabulis sententiisque valde opus fuisse.

4) cf. Caravella, Index Aristophanicus. Oxonii 1822: Ran. 1036 *τάξεις, ἀρετὰς ὁπλίσεις ἀνδρῶν* Homerus cecinisse dicitur, *ὅθεν*, ut pergit Aeschylus, *ἡμὴ φρὴν ἀπομαξαμένη πολλὰς ἀρετὰς ἐποίησεν.* Lys. 543 *ἐθέλω δ' ἐπὶ πᾶν ἰέναι μετὰ τῶν δ' ἀρετῆς ἕνεχ', αἷς ἔνι φύσις, ἔνι χάρις, ἔνι δὲ θράσος, ἐνὶ δὲ σοφὸν, ἔνι φιλόπολις ἀρετὴ φρόνιμος.*

unaquaque re. Nam quamquam Meno Gorgiae discipulus erat, tamen hanc primam eius definitionem non esse Gorgianam Plato indicare mihi videtur propterea, quod a Socrate Meno expressis verbis iubetur praeceptoris sententia omissa dicere, quid ipse sentiat [1]). Alteram definitionem ex Gorgiae simulque Menonis sententia dictam esse p. 73 A manifestum fit. Tertiam deinde definitionem (p. 77 B), quae poetae cuiusdam esse dicitur, ipsius Gorgiae esse non censeo, etsi ut illius discipulum ubique Menonem loquentem facit Plato; immo philosophus, ut solet, a vulgari sententia ad doctiorum iudicia in disputatione procedere mihi videtur [2]). Accedit quod vulgaris sententia in prima Menonis definitione inesse eam quoque ob causam videtur, quod huius sententiae initia in Homeri et Pindari carminibus inveniuntur; atque aperte genuina vis adhuc valet. Deinde Menonis notio virilis praestantiae (*ἀνδρὸς ἀρετῆς*) consentit cum ea, quam vulgarem esse exposuimus. Definit enim eam his verbis: *ἱκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πράττειν καὶ πράττοντα τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς, καὶ αὐτὸν εὐλαβεῖσθαι μηδὲν τοιοῦτον παθεῖν.* Haec notio non plane consentire videtur cum ea, quae in Solonis fr. 27 exprimitur, cum haec de excellentia sola, quae in re publica administranda exhibetur, neque tam aperte de vita tuenda dicta sit. Neque magis consentit cum ea, quae in altero Solonis fragmento et compluribus locis Theognideis usurpatur, dico eam, qua tantum ad facultatem recte vitam instituendi refertur *ἀρετὴ* neque dilucide ad rei publicae munera exsequenda. Utrique igitur notioni Solonis respondet primae definitionis ea pars, de qua agimus; sed pariter ut hic illae notiones coniunguntur, ita etiam in Solonis et in vulgi sententia haud dubie coniunctae erant. Propterea non minus quam Soloneam notionem licet moralem dicere hanc vulgarem. Nam etsi de iustitia et prudentia non agitur, id quod non responderet vulgari modo loquendi, tamen hae virtutes con-

---

1) 71 D *Ἐκεῖνον μὲν τοίνυν ἐῶμεν, ἐπειδὴ καὶ ἄπεστιν, σὺ δὲ αὐτὸς, ὦ πρὸς θεῶν, Μένων, τί φῂς ἀρετὴν εἶναι.*

2) Similiter Theaetetus in dialogo, qui eius nomine inscribitur et multis rebus ei, de quo agimus, similis est, de scientia interrogatus primum varias scientias enumerat (p. 146 C D) tum refutata altera, quam profert, definitione, alius cuiusdam definitione utitur, cuius antea oblitus erat (p. 201 C). — Brandis (Grundriss I p. 540 adn. mm) ipsius Gorgiae tres illas definitiones, quas profert Meno, esse iudicat, cum Zeller (I b^5 p. 1122 adn. 3) primam Gorgiae ascribat atque in reliquis formandis Platonem fortasse dictis sophistae quibusdam usum esse non neget. — Paulo infra porro de ea quaestione agendum erit. cf. p. 46.

tinentur illa definitione. Eodem modo de mulierum honestate expressis verbis non agitur in muliebris praestantiae definitione, sed circumloquendo indicantur singulae virtutes. Itaque mirum non est, quod p. 73 B Meno ut consentaneum concedit temperantiam et iustitiam (*σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην*) omnibus hominibus necessarias esse, qui boni esse studeant. Neque differt Menonis tota prima definitio ab elegiacorum usu, nam si rectam vitae rationem et facultatem in re publica excellendi notabant voce *ἀρετή*, apparet eos ad viros tantum respexisse. Nam post Homerum omnia carmina aperte ad virorum opera et sententias respiciunt, non ad aliud quodquam hominum genus. Itaque poetae etsi non de ea praestantia loquuntur, quam omnibus hominibus communem esse putant, facile fieri potest, ut virilem praestantiam omnino pro humana habeant et de ea loqui nobis videantur. Similiter fieri potest, ut virtutem bellicam in vulgari sententia non inesse suspicari possimus, nam neque in elegiis praeterquam in Tyrtaei et Simonidis neque in Platonis dialogo, qui Meno inscribitur, neque plerumque ubi de sophistarum morali doctrina agitur, huius virtutis mentio fit. Re vera eam magni momenti esse inde apparet, quod adeo usitata erat haec verbi *ἀρετὴ* significatio, ut in Platonis qui Laches inscribitur dialogo (p. 184 C, 188 C, 189 B) nihil nisi virtus bellica declarari videatur.

Primam igitur Menonis definitionem e vulgari sententia a Platone expressam esse pro certo habeo; neque vero videtur a sophistarum notione multum differre. Propterea nunc quaeramus, utrum sophistarum notio differat a vulgari necne. Zeller (I b^5 p. 1119) sophistas idem sensisse quod vulgus iudicat. H. Sidgwick (Journal of philol. V (1874) p. 67) Athenienses (et vulgus et sophistas, ni fallor, dicit) tunc temporis vocabulo *ἀρετὴ* excellentiam morum et vitae gerendae significasse censet, sed parum indicat, qui habiti sint mores excellentes. Atqui haec quaestio summi momenti est in iudicio de sophistis faciendo

Ac primum quidem de Gorgia sophista agamus, de cuius sententiis moralibus iam supra diximus. Atque de eis fortasse plura quam de ceterorum sophistarum enucleari possunt [1]). In eius orationibus quidem, quae Helena et Palamedes inscribuntur, non ad eam facultatem, quam docebant sophistae, verbum *ἀρετὴ* refertur,

---

1) De omnium sophistarum sententiis moralibus scripsit B. Münz, Die vorsokratische Ethik. B: Der ethische Standpunkt der Sophisten. Zeitschrift für Philosophie und phil. Kritik. 81 (1882) p. 255 sq.

sed epico fere modo usurpatur. Concedendum autem est eo nomine, quod opponitur (§ 16), *κακότης*, significari illud turpe crimen, cuius Palamedes accusatus esse fingitur (Palam. §§ 13; 16; 29; 36). Quae cum ita sint, pariter atque apud Thucydidem praeter epicam notionem valet apud eum significatio honesti, sed ceteris locis (cf. §§ 13; 20; 32) notio moralis non exstat. In initio orationis, quae Helena inscribitur, vocabulo *ἀρετὴ* bonus alicuius rei eventus declarari videtur (cf. Hom. Θ 329 *οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα*). Eadem epica notio invenitur in fragmento epitaphii (cf. Spengel, *Συναγ. τεχν.* p. 78), cum hominum mortuorum excellentia eodem modo celebretur quo funebribus ceteris orationibus.

Haec substantivi notio magis cum Menonis prima definitione quam cum altera consentit, quae e Gorgiae sententia expressa est. Dicit enim Meno praeceptoris auctoritate nisus praestantiam contineri facultate hominibus imperandi (p. 73 C *ἄρχειν οἷόν τε εἶναι τῶν ἀνθρώπων*). Gorgiam ipsum hanc definitionem non dedisse fortasse iam conici licet e genere sermonis, quod cum Gorgiana dicendi consuetudine minime convenit, praesertim si componitur cum definitione coloris, quam Gorgianam esse non minus e peculiari verborum usu quam e gravitate et pompa dictionis apparet[1]). Accedit quod Aristoteles (Pol. I 13. 1260 a 25) negat Gorgiam expressis verbis definivisse praestantiam (*ἀρετήν*). Quocum convenit quod Plato Menonem definitioni addentem facit verba *εἴπερ ἔν γέ τι ζητεῖς κατὰ πάντων* et in prima definitione praeceptoris sententiam omittentem. Quaeritur igitur, unde Plato hauserit hanc definitionem, nam ex orationibus Gorgiae, quae exstant, certe non sumpsit. Alio quodam loco eum de virtutibus scripsisse e Menonis prima definitione et Aristotelico loco, quem commemoravimus, viri docti concludunt.

Haud scio an non neglegendum sit apud Platonem Gorgiam in eo dialogo, qui sophistae nomine inscribitur, interrogatum de arte rhetorica, dicere (p. 452 D) arte rhetorica effici, ut homines possint et ipsi liberi esse et aliis imperare. Haec enim verba, opinor, non possunt non coniungi cum illa altera notionis *ἀρετῆς* definitione. Gorgias igitur quamquam negabat se praestantiam docere (cf. Meno p. 95 C) videtur ex Platonis sententia idem docuisse, quod ceteri sophistae, qui praestantiam se docere profitebantur. Nam is, qui arte rhetorica usus hominibus persuadet quidquid

1) cf. H. Diels, Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1884. p. 345 sq.

libet, et in re publica excellit et suae saluti prospicit et imperare hominibus dici potest.

Tamen credi non potest Platonem ex libro quodam Gorgiae de virtutibus alteram Menonis definitionem hausisse. Nam si sophista in eiusmodi libro de praestantia virorum, mulierum, infantium, servorum egisset et suam cuique generi excellentiam attribuisset, non potuit Plato ei asscribere et refellere definitionem, quae ad unum hominum genus pertinet. Atque supra commemoravi (p. 43 sq.) e prima Menonis definitione mihi non videri concludendum esse sophistam illo modo de virtutibus scripsisse, contra vulgarem eam sententiam habendam esse puto. Neque enim Aristotelicum locum illum recte cum ea definitione coniungi (ut a Susemiehlio in adn. ad eum locum) immo aliter explicandum esse existimo. Dicit enim philosophus [1]) Gorgiam ut praestantiam ipsam non definivisse ita singulas virtutes enumerasse. Haec verba fortasse eodem modo explicari possunt, quo singulas virtutes enumerat Agatho, Gorgiae discipulus, apud Platonem, cum in oratione, quam in Convivio habet (p. 196 B sq.), praestantiam dividat in quattuor illas virtutes primarias *δικαιοσύνην, σωφροσύνην, ἀνδρείαν, σοφίαν*. Harum autem notiones non philosophas sed vulgares esse apparet praecipue ex iis, quae de virtutibus *δικαιοσύνης* et *σοφίας* exponuntur. Atque haec oratio propterea cum Gorgiano epitaphio componi potest, quod in utraque oratione agitur de praestantia alicuius celebranda atque epitaphii extrema pars servata esse mihi videtur, in qua omnes laudes sicut ab Agathone in fine orationis comprehenduntur. Inde colligi potest eum in parte, quae antecedit, simili modo singulas virtutes primarias enumeravisse, quo Agathonem.

Etsi igitur Gorgiam de virtutibus librum scripsisse nego, tamen de praestantia eum vel scripsisse alicubi vel locutum esse cum propter Aristotelis verba tum propterea pro certo habendum est, quod, ni ita esset, Plato in eo dialogo, qui de virtute agit, cum Gorgiae discipulo vix Socratem colloquentem fecisset. Atque notissimam fuisse sophistae laudationem funebrem de praestantia mortuorum habitam veri simile est. Ex hac num Plato haurire potuerit

---

1) Pol. I 13. 1260 a 25. *καθόλου γὰρ οἱ λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς ὅτι τὸ εὖ ἔχειν τὴν ψυχὴν ἡ ἀρετή, ἢ τὸ ὀρθοπραγεῖν, ἤ τι τῶν τοιούτων. πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετάς, ὥσπερ Γοργίας, τῶν οὕτως ὁριζομένων.* Hoc loco in universum loqui videtur philosophus, quamquam tota illius libri pars ad varias variorum generum virtutes spectat.

alteram Menonis definitionem, dubium esse videtur. Sed si ex Agathonis oratione uno verbo exprimimus Erotis praestantiam, dicendum est, eam ob causam Erotem praestantem nominari, quod imperare possit et diis et hominibus. Hanc vero definitionem eandem fere esse apparet, quae ex eis cognoscitur, quae de singulis virtutibus primariis Agatho affert. Similiter de mortuis civibus Gorgias loqui poterat vulgaribus notionibus praestantiae et singularum virtutum usus. Haec notio cum conveniat cum ea arte, quam sophista docebat, a Platone expressa esse mihi videtur in altera illa definitione. Nimirum haec definitio arte cohaeret cum vulgari notione, quoniam ita perfectus ille vir imperat aliis secundum Menonis opinionem, ut saluti suae quam maxime provideat.

Ne a ceteris quidem sophistis aliena erat haec notio. Sane haud ignoro non deesse, qui propterea quod praestantiam in summas illas virtutes dividant vel ad eas reducant, moralem sophistarum notionem esse censeant. Praecipue de Protagora et Prodico sic iudicatur, de quibus propterea pauca addenda sunt. Ac primum quidem de Prodico[1]) inquirendum est. Is quid de praestantia cogitaverit, videtur cognosci posse cum e Pseudoplatonico dialogo, qui Eryxias inscribitur, tum e notissima illa de Hercule narratione, quam tradit Xenophon (Mem. II 1, 21 sq.). Namque utroque loco eadem notio invenitur et vana esset illusio Prodici in dialogo illo, nisi vere eius sententia proferretur. Apparet ubi Prodici cum puero (*μειρακίῳ*) illo disputatio narratur (p. 397 E), *ἀρετὴν* ad eam artem pertinere, qua opibus aliquis bene utitur. Ponitur enim illud verbum p. 398 B pro facultate *τοῦ πράγματα ἀγαθὰ ποιεῖν*, ut p. 398 D is, qui recte opibus uti scit, *καλὸς κἀγαθός*, qui nescit, *φαῦλος* dicitur. Item hoc loco *ἀρετὴ* ad bona externa refertur, nam puer „siquidem disci potest *ἀρετή* (sc. ut tu dicis, qui eam doces) inquit, cum a deis bona rogas (sc. quae nemini utilia sunt nisi qui *ἀρετὴν* habet) nihil aliud rogas, nisi ut discas aliquid (sc. *ἀρετήν*) quod nondum scis.“ Sane haec ars opes recte adhibendi quodammodo moralis dici potest, cum ad cupiditates superandas spectet, sed vere honesta non est propterea, quod cum bonis externis nimis cohaeret.

Praestantiae notio, quae in Prodici narratione de Hercule invenitur, non differt a Xenophontis. Hic enim narrationem affert,

1) cf. F. G. Welcker, Prodikos von Keos, Vorgänger des Socrates. Kl. Schr. II. p. 393 sq. (Rh. Mus. 1832 p. 1 sq. — 1836 p. 355 sq.) — Heinze, Ber. d. phil. hist. kl. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1884 p. 315 sq.

qua ostendat Socratem iuvenes adhortatum esse, ut ἐγκρατείᾳ studerent, quae virtus apud illum non eo spectat quo apud peripateticos, ad servandam honestatem dico, sed ad constantiam adversus cupiditates et labores, qua bona externa conservantur. Itaque facile fieri poterat, ut Xenophon in Hesiodi illis verbis τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα κτλ. suam sententiam inveniret (§ 20). Neque minus ad sententiam eius quadrat, quod Prodicus dicit praestantiae (ἀρετῆς) viam laborum plenam [1]) esse. In narratione ipsa ne vulgari quidem modo de honestate verba fiunt; nimirum de felicitate (εὐδαιμονίᾳ) loquitur Virtus quoque illa (§ 33), sed ex iis, quae de bonis (§ 29) dicit, perspicitur in nulla alia re nisi in honestate hanc felicitatem positam non esse. Affert enim ut bona: deorum gratiam, amicorum fidem, honorem apud cives, admirationem apud omnes Graecos ἐπ' ἀρετῇ, divitias, valetudinem corporis cum bellica virtute coniunctam — haec bona opponit illa Ἀρετὴ vitae voluptatum plenae, quam pollicetur Κακία. Videtur igitur Prodicus ἀρετὴν rettulisse ad facultatem vitae ita instituendae, ut illa, quae enumerata sunt, bona adipiscatur et retineat aliquis. Iustitiam, praecipue temperantiam aliasque virtutes ei opus esse, qui praestantiae viam ingredi velit, consentaneum est, etsi expressis verbis non dicitur.

Sequitur ut de Protagorae notione agamus [2]). Haec ut in virtutibus moralibus posita esse dicitur ita non differt a vulgari, siquidem e Platonis dialogo, qui inscribitur eius nomine, de ea aliquid concludi licet. Certe quid Plato de Protagorae ceterorumque sophistarum praeceptis moralibus senserit, cognosci potest. Philosopho illa praestantia, quam docebant sophistae, nihil nisi artificium (τέχνη) quoddam esse videbatur ut cetera artificia in instruenda vita occupata. Atque haec singulis curae esse dicuntur, illud autem omnibus; eodem modo quo his alter alterum superare potest, fit ut aliquis politico artificio (πολιτικῇ ἀρετῇ 322 D sq. cf. 323 A) alios superet, si quidem res suas bene administrat et inter cives et agere et loqui potest (318 E) [3]). Itaque videmus facultatem quandam

1) Post Hesiodum saepe praestantia laborum plena esse dicitur, ut Aesch. fr. 340 (Nauck). Soph. Phil. 1420. Eur. Heracl. 625. Thuc. I 123. Aristoteles carm. 5 (6), 1. Inde Graf, Leipziger Studien VIII p. 48 sq. docet factum esse, ut narretur Virtutem in monte avio domicilium habere cf. Simonid. fr. 41 (58).

2) cf. L. Schmidt l. c. I p. 300 sq. — A. Harpf, Die Ethik des Protagoras und deren zwiefache Moralbegründung. Heidelberg 1884.

3) Ab hac definitione differt Menonis prima propterea, quod in notione virilis praestantiae omissa est facultas rerum administrandarum, quae scilicet summi momenti est.

significari notione *ἀρετῆς* apud Protagoram non minus quam apud Gorgiam et Prodicum.

Sequitur ut quaeramus, quantum ad honestatem pertineat haec facultas. Quoniam agitur de facultate vitam inter cives agendi et ea aetate cognitum erat civitatis salutem positam esse in ea consuetudine, ut alter alterum colat et omnes invicem sibi parcant (322 B sq.), sine hac non potest cogitari illud artificium. Tamen propterea moralem nominare Pratagorae notionem, id quod volunt Schmidt et Zeller (Ib[5] p. 1120 sq.), non possumus. Id quidem concedendum est, id quod Zeller dicit, Protagoram laudare (351 B sq.) voluptatem, qua quis ob res pulchras perfunditur; atque ex ea re cognoscitur eius sententias morales non plane a Platone condemnatas esse. Ex ea quoque re hoc intellegitur, quod iustitiam magni momenti esse iudicat. Sed si idem vir doctissimus videtur ad honestatem referre, quod Protagoras dicit a se meliores reddi iuvenes (318 A *βελτίων*, 348 A *ἀγαθοί*), cum eo consentire non possumus. Nam verba (326 E) *Διὰ τί οὖν ἀγαθῶν πατέρων πολλοὶ νίεῖς φαῦλοι γίγνονται*; aperte eo spectant, quod conqueri solebant Athenienses, quod multi filii eorum virorum, qui in re publica administranda principes fuerant, non didicissent artem (*ἀρετήν*) patrum, ut Periclis filii, quos illi colloquio interesse finxit Plato (320 A *ἃ δὲ αὐτὸς σοφός ἐστίν* cf. 320 B *ἀρετή*; 324 D *ἦν δὲ αὐτοὶ ἀρετὴν ἀγαθοί*). Videntur igitur adiectiva *βελτίων* et *ἀγαθὸς* idem significare quod *σοφός* 310 D. Si mythum et orationem reliquam Protagorae solam respicimus, nulla res nisi iustitia et pudor (*δίκη* et *αἰδώς*) videtur opus esse e sophistae sententia viris, qualis Pericles fuit vel qualem ipse se putabat Protagoras, et omnibus omnino, qui res suas bene administrare aut gubernanda re publica excellere student. Apparet igitur Protagoram non omnia, quae ad praestantiam necessaria sint, enarrasse, sed fundamentum tantum indicasse. Duae illae saltem partes, quae in Solonis notione *ἀρετῆς* insunt, etiam in Protagorae cognoscuntur. Quodsi bellicae virtutis obliviscitur sophista, ubi de praestantiae notione loquitur, mirum non est (322 B artem bellicam partem dicit *πολιτικῆς τέχνης*); scilicet postea fortitudinem (*ἀνδρείαν*) inesse in praestantiae notione iudicat. Prudentiae (*σοφίας*) quoque primo omnino oblitus erat, tamen eam maximam virtutem esse censet (329 E). Item sanctitas (*τὸ ὅσιον εἶναι*) 325 A inter primarias virtutes habetur, quamquam antea iustitia et pudor sufficere videbantur. Praecipue inde, quod prudentiam pro maxima praestantiae parte habet et putat ea sola effici, ut aliquis aut administranda re

publica aut doctrina excellere possit, denique inde, quod inter cives loqui et agere docet sophistes (sicut Hippocrates ille sophistam esse artis rhetoricae praeceptorem dicit p. 312 D) concludendum est minus ad mores quam ad ingenium, minus ad honestatem quam ad res secundas referendam esse Protagoream notionem.

Neglegendum autem non est Platonem cum ea praestantiae notione, de qua modo egimus, Protagoram iam in oratione (ut p. 325 A) coniungentem facere (sed ita ut non satis distinguatur utraque notio) alteram notionem, quae *ἀνδρὸς ἀρετὴ* vocatur. Differt autem ab ea virili praestantia, quam Xenophon (Mem. II 6,35) et Meno (p. 71 E) dicunt; pertinet enim ad omnes homines (ad „infantes et viros et mulieres“ p. 325 A) et complectitur virtutes *δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην καὶ τὸ ὅσιον εἶναι* aliasque, quae non afferuntur. Haec praestantiae notio pertinet ad eum morem, ex quo alter alterum iuvat et tuetur, non laedit aut malo afficit. Idem igitur significatur, quod antea verbis *δίκη* et *αἰδώς*. Accedit quod similitudo quaedam inter Hesiodum et Platonem intercedere videtur, nam hic *δίκῃ* (iure) homines a bestiis differre dicit (Opp. 274 sq.), ille iudicantem facit Protagoram virtute (*ἀρετῇ*) a barbaris eos homines esse distinguendos, qui in civitatibus vivant eruditi litteris et artibus (327 D). Quoniam autem eius modi hominum habitus legibus et moribus continetur, in horum obsequio cognoscitur praestantia (326 D; 327 B). Recte igitur dici potest in re publica cives legibus ad praestantiam erudiri (327 D). Atque hanc moralem praestantiam Protagoras, qui non cogitabat de illa Socratis doctrina, disci posse videbat. At hanc non docebat neque hac Athenienses domi bellique qui clari erant aut sophistae excellebant inter cives. Hoc inde apparet, quod *σοφία* omissa est, ubi praestantiae partes enumerantur, quamvis alio loco (329 E) gravis esse dicatur in praestantiae notione. Haec sane quae *ἀνδρὸς ἀρετὴ* nominatur, praestantiae notio moralis est, sed ita ut vir perfectus suae saluti prospiciat. Harpf (l. c.) nullam nisi hanc praestantiam docuisse Protagoram videtur opinari, sed propter ea, quae exposita sunt, iudico hanc notionem ut in defendendis sententiis sane commoda videbatur, ita in praeceptis nullius momenti fuisse. Itaque haec discrepantia inter eas habenda est, quibus Protagorae sententiae ut abundarent Platonem demum effecisse exponit Gomperz (Griech. Denker II p. 251 sq.). Quae tamen discrepantia et ipsa originem habet e vulgari praestantiae notione, qua praeter res secundas continentur boni mores. Quae

cum ita sint, ne Protagoram quidem censeo discrepare a vulgari sententia secundum Platonis iudicium.

De ceterorum sophistarum notione certi quicquam cognoscere non possumus, veri simile autem est eam nihilo magis differre a vulgari. Hanc vulgarem sententiam ab epica primum eo differre apparet, quod epica magis ad statum aliquem pertinet, vulgaris autem ad facultatem quandam. Atque inest sane haec facultatis vis iam epicae notioni, postea autem effectum est, ut magis magisque praevaleret [1]). Maxime autem cognoscitur haec vis ex ea quoque re, quod in omnibus illis Menonis et Protagorae definitionibus verbum aliquod inest, quo facultas declaratur (Men. 71 E *ἱκανὸν εἶναι;* 73 C *οἷόντε εἶναι;* 77 B *δυνατὸν εἶναι;* Prot. 318 E *δυνατώτατος*). Differunt autem epica et vulgaris notio etiam magis ea re, quod epica notio et ad corpus et ad animum pertinet, vulgaris ad nihil nisi ad animum, politica certe minime ad corpus spectat. Sic fit ut in Agathonis oratione Erotis pulchritudo non habeatur inter praestantiae signa: sed in imagine perfecti civis certe inest bellica virtus, cum bellum habeatur in publicorum munerum numero. Ad rem publicam nimirum propterea referebatur praestantia, quod in ea tantum gerenda auctoritatem et opes nanscisci posse aliquem homines sentiebant. Etenim factum esse videmus, ut ea aetate idem fere notione *ἀρετῆς* contineatur, quod notione genuina, dico felicitatem quandam. Veteribus autem temporibus ab aliis pendebat rebus ac recentioribus, nam illis magis ad bona externa, his, ut quibus res publicae hominum aliter essent institutae, ad animi facultates pertinebat felicitas.

Caput quartum.

Vocabuli *ἀρετὴ* notio philosopha.

Quae sit vera praestantia, inter Graecos quidem neminem melius disputasse existimo quam Socratem et Platonem. Viderant autem iam ei, qui ante Socratem fuerunt, philosophi non externis bonis atque inde promanante felicitate praestantiam contineri, viderant eidem non solum eum, qui in re publica versaretur, praestantem esse posse, sed etiam hominem privatum. Eos ita de praestantia sensisse e compluribus fragmentis cognosci posse puto, de quibus

1) De sophistarum notione hoc nuperrime W. Windelband (Plato. Stuttgart 1900) quoque exposuit.

nunc agendum est. Hi philosophi propterea, quod alias res ac sophistae tractabant, aliter de praestantia et simul de rebus moralibus sentiebant, nam ubi de rebus humanis meditari coeperunt, earum, quas videbant, civitatum finem et modum transire non verebantur, sed quaerebant, num recte res humanae se haberent et quemadmodum cum mundi natura cohaererent [1]).

Quam cogitandi viam num veteres Pythagorei ingressi sint, nescimus. Notum quidem est tradi Magn. Moral. I 1. 1182 a 11 Pythagoreos primos de honestate (ἀρετῇ) quaesivisse et virtutes ad numeros, ut iustitiam (δικαιοσύνην) ad quadratum, revocavisse. Ac Philolaus (fr. 11 Boeckh. Dox p. 336) diviso toto spatio, quod inter Olympum quem dicit et terram interiectum est, in compluria spatia, docuit, ut tradit Stobaeus (Ecl. I 488 p. 196, 18 W) „in spatio immutabilium rerum, quod circum sidera pateat, sedem habere sapientiam (σοφίαν), in spatio autem mutabilium rerum virtutem (ἀρετὴν), illam perfectam, hanc imperfectam". Hoc fortasse e Stobaei verbis concludi potest sapientiam (σοφίαν) a Philolao in humanarum virtutum numero habitam non esse. F. Huemmerich (Comm. philol. Monachii 1891 p. 126) Pindarum e Pythagoreorum doctrina virtutum quaternarium numerum accepisse existimat, quod iudicium certo argumento stabilivisse mihi non videtur (cf. supra p. 25). Neque in disputatione nostra ullius momenti est, quod in carmine, quod χρυσᾶ ἔπη inscribitur, vocabulum ἀρετὴ moralem vim habet.

E ceterorum, qui ante Socratem docuerunt, numero Xenophanes primus commemorandus est, quem de religione, de conviviis, de corpore colendo novum iudicium fecisse constat. Robori opponit id, quod vocabulo σοφίη significat, fr. 19 Karsten (fr. 2 Hiller-Bergk.) quodque hominibus utile esse et civitatis statum ordinare florentemque facere existimat, id quod e nexu sententiarum apparet. Hoc certe neque de ipsa arte cantandi neque de doctrina physica dictum est, sed ad moralia praecepta pertinere mihi videtur. Quodsi Karsten (Xenoph. rel. p. 63) verbo σοφίη significari iudicat poetarum artem et sapientiam, quae olim omnem tam privatarum quam publicarum rerum disciplinam comprehenderit, id de Homerico usu non prorsus recte dictum, sed potius ad quodlibet artificium referendum esse nomen σοφίην supra exposui. De Xenophane autem recte Karsten iudicat, cum ille omnem philosophiam suam voce

1) De philosophorum ante Socratem praeceptis moralibus scripsit B. Münz, Die vorsokratische Ethik. Zeitschr. f. Phil. u. phil. Kritik. 81 (1882) p. 245 sq.

σοφίη declaret in illa elegia. Certe ab Homero differt Xenophanes, sed non ita multum, quod de vocabulo σοφίη idem dicendum est quod de verbo ἀρετή, nam suam quisque artem summam ducebat. Sed pro praestantiae parte haec notio habenda non est, potius in ea posita esse videtur honestas (ἀρετή), quippe quae opponatur robori, tamquam maioris pretii sit. Hoc iudicio philosophus haud dubie longe differt ab Homeri, optimatium, vulgi sententia, excepto uno Tyrtaeo. Putat enim hac morali scientia (σοφίη) (cf. fr. 19, 19) idem effici, quod Protagoras honestate (ἀνδρὸς ἀρετῇ), ut homines adducantur ad veram praestantiam.

Verbum ἀρετὴ legitur fr. 21 K. (1 H. B.), 20, ubi philosophus dicit, postquam nimium bibere vetuit:

ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει,
ὥς οἱ μνημόσυν' ἦι, καὶ τὸν ὃς ἀμφ' ἀρετῆς (Bergk.)

„virorum autem is laudandus est, qui utilia profert inter pocula, prout scit, et is, qui de praestantia canit neque inutiles narrationes de gigantibus et titanis" (τοῖς οὐδὲν χρηστὸν (bonum) ἔνεστιν). Multas multorum de hoc loco sententias omittimus, quippe quae ad notionem ἀρετῆς non pertineant, et de scriptura ad Sitzlerum (Berl. phil. Wochenschr. 1887. 358), de notione praestantiae ad M. Schulzium [1]) legentes ablegamus. Scilicet ad robur philosophus non refert excellentiam, sed ad aliquam rem, quam vere hominibus utilem esse sentit (v. 19 ἐσθλά, v. 23 χρηστόν). Itaque hac re cum sapientia, quam dicit, cohaeret praestantia; ac convenit locus, de quo agimus, cum v. 14 εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις et cum fine fragmenti, ubi poeta dicit deorum semper reminisci utile (ἀγαθόν) esse. Propterea hoc loco eam moralem vim habet ἀρετή, ut praeterquam ad alias virtutes ad pietatem erga deos referenda sit, quocum convenit, quod adiectiva ἀσεβὴς et εὐσεβὴς leguntur fr. 25 K. Nam quin, qui ita de vera dei natura et dignitate quaerebat, ut ex hoc studio omnis eius philosophia orta sit [2]), idem postulaverit, ut homines deos colerent, quis est qui dubitet? Ac cum quo perfectiorem aliquis sibi fingit deum, eo perfectiorem cogitet praestantem hominem, censendum est neminem Graecorum clarius de hominum praestantia sensisse quam Xenophanem. Eo magis dolendum est, quod de huius sententia tam pauca traduntur. Praeter

1) Der ethische Gedankengehalt d. griech. Elegiker u. Jambographen. p. 9 et 32.

2) cf. H. Diels, Archiv für Geschichte d. Phil. 10 (1897) p. 530 sq.

pietatem erga deum alias virtutes, quibus civitas floret, praestantiae notione contineri colligitur e fr. 19 K. (2). Temperantiam fr. 21 (1) philosophus et commendat et inter ea habet, quae ad sapientiam pertinent. Hanc ob rem, etsi vocabulum *σωφροσύνη* in eius reliquiis non legitur, tamen veri simile est easdem virtutes inesse apud eum in praestantiae notione, quas apud Platonis Protagoram in notione *ἀνδρὸς ἀρετῆς*, virtutes dico *δικαιοσύνην, σωφροσύνην, τὸ ὅσιον εἶναι*. Haud ignoro vocabulum *δικαιοσύνην* non usurpari a Xenophane et adiectivo *τὰ δίκαια* fr. 21 (1), 5 omnia, quae facere deceat, significari, sed certe ea virtus, qua ordinatur civitas, est iustitia. Meo iure igitur dicere mihi videor apud Xenophanem notionem *ἀρετῆς* esse vere moralem et sapientiam (*σοφίην*) pariter cum ea cohaerere atque in Platonico, qui Laches inscribitur, dialogo (cf. p. 198 A; 199 D), ubi Socrates sapientiam non habet in virtutum primariarum numero, sed honestatem in ea positam esse iudicat. Hoc iudicium cum vulgari sententia cohaerere notum est; sed Xenophanes studet communi saluti, non suae, et postulat, ut omnes id faciant. Neque verisimile est illum eam ipsam ob causam deorum cultum hominibus commendasse, ut ipsi malis ne afficiantur, sed pro certo habendum est propter admirationem et venerationem dei hominibus recte faciendum esse secundum philosophi sententiam. Utrum Xenophanes in laude praestantiae alicui attribuenda ad opes respexerit, accurate cognoscere non possumus, sed quis est, qui credat secundum eius iudicium perfecto viro opes necessarias esse, aut vocabula, quae utilitatem indicant, ad fortunam spectare, ut apud Hesiodum, non ad mores? Ad facultatem rei publicae gerendae certe non respexit philosophus, fortasse autem sentiebat se sapientia (*σοφίῃ*) usum magis res civitati utiles cognoscere quam eos, qui ludos Olympicos celebrandos curabant. Hac sapientiae notione moralia eius praecepta cum iudicio quod facit de rerum deorumque natura cohaerent.

Cum Xenophane consentire notum est Heraclitum cum de deorum cultu tum eo, quod in eius doctrina vel artius res humanae cum rationibus physicis cohaerent. Eius de praestantia sententiam nunc spectemus. Constat huius philosophi de animi natura doctrinam positam esse in iudicio de mundi natura facto; hanc sententiam ad moralem quoque animi naturam pertinere intellegitur e fr. 74 (Byw.) *αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη*. His verbis omnis philosophi de moribus sententia exprimi videtur. Itaque ante omnia quaerendum est, quomodo interpretanda sint adiectiva *σοφωτάτη* et *ἀρίστη*, et

diiudicandum, num in siccitate animi philosophus ponat honestatem (cf. *περὶ διαίτης* I c. 35), in quem sensum nimirum Ziegler (p. 32) accipit fragmentum. In fr. 73, quod cohaeret cum eo, de quo agimus, puer parvus dicitur a recta via abducere posse ebrium virum, ut qui humidum habeat animum. Aperte turpem rem condemnat philosophus propter causam, quam sumit e doctrina de rerum natura. Altera ex parte humiditate animi magis intellectus quam mores laedi videntur, quare fr. 74 adiectiva *σοφωτάτη* et *ἀρίστη* maxime ad intellectum revocanda sunt. De utroque enim loquimur, cum idem significent, id quod non discrepat ab Heracliti ratione loquendi. Vocabulum *ἄριστος* enim philosophus ad prudentiam refert. Atque reputantibus nobis, quemadmodum hoc vocabulum usurpet, primo obtutu ab optimatium stare nobis videtur. Etenim [1]) optimos (*ἀρίστους*), quorum unum pro decem milibus aliorum hominum habet (fr. 113), gloriae aeternae studere, vulgus autem voluptati et libidinibus deditum esse dicit (fr. 111) atque hoc loco plurimi aestimat gloriam. At non eodem modo gloriam extollit quo sophistae, qui de gloria in re publica comparata et de rebus secundis cogitabant. Neque est dubium, quin Homerus, qui ipse quoque gloriam summum hominum bonum esse censet, de rerum manu gestarum gloria loquatur. Ab Heraclito autem summum bonum, quacum notione haud dubie cohaeret perfecti viri imago, dicitur ea gloria, quam prudentia, scientia, rerum cognitione aliquis sibi comparet, id quod cognoscitur ex initio fragmenti 111. Accedit quod stulto vulgo opponere solet eos, quos optimos vocat. Pariter verbum *ἀγαθὸς* ad intellectum ab eo referri apparet e fr. 111, itaque ad intellectum magis quam ad genus spectare philosophum.

Apud Heraclitum adiectiva *ἄριστος* et *ἀγαθὸς* ad nihil nisi ad mores spectare vix crediderim. Ad eos potius vox *ὀνήιστος* (fr. 114) pertinere mihi videtur, nisi ad intellectum eam quoque quodam modo revocamus. Sed ea, quam laudat, rerum cognitio non ad mundum solum pertinet, sed ad humanas quoque res, ut apparet e fr. 111, et ad cognoscendam eam rationem, qua omnia cohaereant. Nam satis nota est illius doctrina, qua non secernit rerum humanarum cognitionem a mundi, ut eas quoque bello regi docet (fr. 44 et 62) [2]).

---

1) fr. 111. *Τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρήν; [δήμων] ἀοιδοῖσι ἕπονται καὶ διδασκάλῳ χρέωνται ὁμίλῳ, οὐκ εἰδότες ὅτι πολλοὶ κακοί, ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί· αἱρεῦνται γὰρ ἓν ἀντὶ πάντων οἱ ἄριστοι, κλέος ἀέναον θνητῶν. οἱ δὲ πολλοὶ κεκόρηνται ὅκωσπερ κτήνεα* (Ita Bywater).

2) cf. Th. Gomperz, Wiener hist. phil. Sitzungsber. 113 (1886) p. 1009.

Ita fit, ut ex omnipotenti divina lege humanas leges et usus emanare dicat (fr. 91 et 19) [1]). Atque cum his verbis coniungendum certe est iudicium illud, quo censet (fr. 100) pro lege pugnandum esse populo pariter ac pro moenibus. Scilicet postulat philosophus, ut homines oboediant legibus; itaque inter philosophi praecepta moralia, si nihil aliud, legum obsequium habendum est, sed ex eius sententia addendum est eos, qui rerum naturam perspiciunt, propterea humanis legibus parere debere, ut quas cum divina lege cohaerere sciant. Ergo, nisi fallor, ab Heraclito optimi dicuntur ii, qui leges universi cognoscunt et sequuntur.

Ad hunc usum quadrat fr. 107 (Stob. Flor. III 84) *σωφρονεῖν ἀρετὴ μεγίστη· καὶ σοφίη ἀληθέα λέγειν καὶ ποιεῖν κατὰ φύσιν ἐπαΐοντας* (prudentia virtus summa; ac sapientium verum loqui et facere rerum naturam obsequentes) [2]). At haec esse Ephesii verba ipsa Valckenaer et Schleiermacher (p. 479) negant, quos sequitur Bywater; quaeritur igitur, num ea conveniant cum usu verborum, qui in ceteris fragmentis reperitur. Videtur enim illo *σωφρονεῖν* virtus temperantiae significari et maxima virtutum primariarum dici, ut Schuster (p. 310) similiter interpretatur, quem scilicet sequitur Ziegler (p. 32). Sed quominus sic interpretemur, obstat Heracliti usus verborum, nam mire illud *σωφρονεῖν* summa virtus esse diceretur, quod omnibus hominibus commune esse putat philosophus, id quod minus comprobatur fr. 106 (*ἀνθρώποισι πᾶσι μέτεστι γιγνώσκειν ἑαυτοὺς καὶ σωφρονεῖν*), cum de eo dubitetur utrum genuinum sit necne, sed apparet e fr. 91 (*Ξυνόν ἐστι πᾶσι τὸ φρονέειν*) [3]). Quare si proficiscimur a genuina vocabulorum significatione, fortasse interpretari licet: prudentia est summa excellentia; cui sententiae apprime convenit quod verba *ἄριστος* et *ἀγαθὸς* ad intellectum referuntur, ac fieri potest, ut e philosophi sententia ea verba expressa sint. Utique praestantiae notio cum ea sapientia, quam *σοφίην* dicit,

---

1) Aliter de ea re *περὶ διαίτης* I c. 11.

2) Nam alteram interpretationem Schuster (p. 310) non recte proponit, quod verba *λέγειν καὶ ποιεῖν* non possunt non inter se coniungi cf. fr. 94 *Οὐ δεῖ ὥσπερ καθεύδοντες ποιεῖν καὶ λέγειν.* fr. 2 . . . *ἐπέων καὶ ἔργων* . . . Accedit quod sapientiam ad naturae cognitionem refert Heraclitus cf. fr. 1 et fr. 19, ut *ἀληθέα λέγειν* naturae legibus praescribi existimet. Veritati student secundum eius sententiam, qui naturam ducem sequuntur, id quod praeter alia e fr. 118 concludendum est, de quo infra agendum erit.

3) Ex hoc quidem Schuster (p. 309 adn. 3) putat ortum esse fr. 106, mihi autem videtur nemo illa verba sic compilare potuisse nisi qui pro eadem re habuit illud *γιγνώσκειν ἑαυτοὺς* et *σωφρονεῖν*, ut Plato Charm. 164 D.

pariter in eius doctrina arte cohaeret atque in Xenophanis et Socratis praeceptis. Notionem σοφίης autem cum rerum cognitione cohaerere apud illum concludendum est ex altera fragmenti 107 parte (καὶ σοφίη ἀληθέα λέγειν καὶ ποιεῖν κατὰ φύσιν ἐπαΐοντας). Neque virtutem σοφίης definiri verisimile est, cum ante Heraclitum vox σοφίη ad omne artificium et apud Xenophanem ad philosophiam spectet; potius credi postet philosophum scripsisse σοφόν ἐστιν ἀληθέα λέγειν κτλ. (ut fr. 1 ὁμολογέειν σοφόν ἐστιν, ἓν πάντα εἶναι et fr. 19 ἓν τὸ σοφὸν, ἐπίστασθαι γνώμην, ᾗ κυβερνᾶται πάντα διὰ πάντων). Certe sententia eius agnoscenda est, e qua iterum morale praeceptum explicatur causa e doctrina physica sumpta. Nam a natura homines iuberi dicit veros esse in verbis et operibus. Hoc iudicium neglexit L. Schmidt (II p. 403 sq.) in enumerandis Graecorum de vero et mendacio sententiis, quarum nulla cum Ephesii componi potest; cf. inter alia Democr. fr. mor. 112 (Nat.) Ἀληθομυθεύειν χρεὼν ὅκου λῷον. Illud naturae praeceptum Heraclitus declarat nomine δίκη, cum fr. 118 dicat eos, qui laeserint veritatem puniri a iustitia (δίκη) et eadem iustitia solem prohiberi existimet, quominus aberret a recto itinere (fr. 29). Huic igitur praecepto naturae obsequi perfecti hominis est secundum illius iudicium; ergo necessarium est honesto viro cognoscere naturae leges. Sed non ignorat philosophus hominum animum (θυμόν) nolle praeceptis naturae oboedire (fr. 105). Itaque fortasse eam praestantiam, qua cognitio praeceptorum naturae (τὸ σοφὸν εἶναι) superat animi cupiditatem, declarat σωφρονεῖν, quod in Democriti fragmentis moralibus et ad intellectum solum et ad mores, qui cum intellegentia cohaerent, referri potest. Nullo pacto nobis fr. 107 ita interpretari licet, ut virtus σοφίης pars praestantiae esse dicatur et σωφρονεῖν altera eademque maxima pars; potius in sapientia (σοφίη) praestantia (ἀρετή) posita est pariter atque τὸ δίκαιον εἶναι et τὸ σωφρονεῖν, quas virtutes assequi nemo potest, nisi qui cognovit naturae praecepta. Itaque praestantiam is exhibet, qui naturae praeceptum sequitur (quod eo facilius potest, quo siccior est animus) i. e. honestum, nam, id quod e fragmentis videmus, moralia praecepta explicantur doctrina physica: veritas, temperantia, legum obsequium. Fortasse cum proximo praecepto cohaeret quod dicit (fr. 102 cf. Schleiermacher p. 502) eos, qui in bello ceciderint, a deis et hominibus honorari, cum philosophus amorem patriae ab hominibus postulare videatur. Quid senserit de fortitudine vel quas praestantiae partes distinxerit, conicere non possumus.

Sequitur ut pauca de Empedocle dicamus. Is quoniam in eo carmine, quod *Καθαρμοὶ* dicitur, de rerum natura non egit, verisimile non est eum pariter atque Heraclitum cum physica doctrina praestantiae notionem coniunxisse. Certi autem aliquid de moralibus eius praeceptis cognoscere non possumus, nisi quod constat vetuisse eum mortuorum animos laedere edenda carne certisque frugibus. Vix autem credendum est eum nulla praeterea praecepta moralia dedisse. Pollicetur enim hominibus, qui certo quodam habitu sint, tamquam praemium, fore, ut inde ad meliores semper naturas usque ad divinam progrediantur (v. 447 sq. St.), atque veri simile est hunc habitum ab eo verbo *ἀρετὴ* significatum esse (non legitur vocabulum in eius reliquiis) propterea, quod contrarius habitus significatur voce *κακότης*. Ita usurpari verbum apparet e v. 445 [1]), ubi *κακότης* ut habitus quidam componitur cum miseriis (*ἄχεσιν*), quo nomine is status declaratur, quem efficit ille habitus. Hac igitur re Empedoclis usus valde differt ab Homerico. Cum hoc philosophi usu fortasse id cohaeret, quod apud Gorgiam (Palam.) verbum *κακότης* refertur ad inhonestum habitum. Num Empedocles praestantiam positam esse putaverit in iustitia et pietate et voluerit, ut *ὁσίως καὶ δικαίως* homines se gererent, ut dicit Clem. Al. Strom. 722, non potest diiudicari. Utique Empedocles philosopha *ἀρετῆς* notione usus esse mihi videtur, dico habitum honestum, quae notio apud Democritum invenitur.

Democriti moralia praecepta quodam modo cum doctrina physica cohaerere viri docti dicunt, sed praestantiae notionem non curant. Si curiosius eam perscrutamur, recte videtur Cicero negasse Democritum de virtute enucleate dixisse (de fin. V, 88). Nam philosophus videtur vulgi sententiam hac in re modo secutus, modo non secutus esse; utrumque in moralibus praeceptis invenitur. Disputandi initium capiamus a fr. 197 (Nat.) *Ζηλωτικῶς ὁμῆ πονεῖν παῖδες ἀνιέντες οὔτε γράμματ' ἂν μάθοιεν οὔτε μουσικὴν οὔτε ἀγωνίην, οὐδ' ὅπερ μάλιστα τὴν ἀρετὴν ξυνέχει, τὸ αἰδεῖσθαι. μάλα γὰρ ἐκ τούτου φιλεῖ γίνεσθαι ἡ αἰδώς* (infantes, qui neglegunt commune certamen et studium, neque litteras discunt, neque musicam neque artem gymnasticam, neque, quae praestantiam maxime continet, verecundiam; nam valde solet pudor sic oriri sc. inde, quod pueri certando discunt). Vulgari usu verbi *αἰδὼς* philosophus

1) cf. v. 354; 444 St. — H. Diels, Sitzungsber. d. Berl. Akademie 1891 p. 396 adn. 1.

adducitur, ut credat e cupiditate honoris oriri pudorem, quem moralem ex eius sententia esse alia fragmenta ostendunt. In toto fragmento liberos ad praestantiam educatione institui iudicat philosophus. Neque eas res, quibus vulgo praestantia disci putabatur, dico litteras, musicam, corporis exercitationem, tanti in educatione momenti esse quanti τὸ αἰδεῖσθαι. Inde elucet Democriti praestantiae notionem differre a vulgari, quae ex educatione cognoscitur. Notum quidem est iam apud Homerum praestantiam in eo animi affectu positam esse, quem dicit αἰδῶ (cf. supra p. 7), sed apud eum non agitur de eruditione animi. Accedit quod philosophus ut dicit pudorem summi momenti esse ita vulgares illas disciplinas neglectas non vult. Ad honestatem autem erudiri liberos eum voluisse apparet e fragmento 198, ubi perversa eruditione inhonestos mores (κακότητα) effici dicit. Ea quoque re ab epica notione differt et cum vulgari consentit, quod praestantiam disci posse iudicat. Magis autem ab Heraclito differt, ut qui non propter physicam doctrinam, sed propter causam e cognitione rerum humanarum sumptam probare videatur habitum honestum. Itaque fr. 44 (Κρέσσων ἐπ' ἀρετῇ φανεῖται προτρόπῃ χρώμενος καὶ λόγου πειθοῖ ἤπερ νόμῳ καὶ ἀνάγκῃ κτλ.) „apparet, inquit, eum magis posse rectum facere, qui adhortatione et persuasione commovetur, quam qui institutis et necessitate," nam hic illicitur, ut clam praecepta honesti violet, ille autem magis magisque in eo confirmatur et sensu quodam eius imbuitur. Statuendum est a Democrito ei quoque ἀρετὴν tribui, qui non recte sentit, si tantum honeste se gerit; neque alia est ratio, qua in fr. 193 (πλέονες ἐξ ἀσκήσιος ἀγαθοὶ γίνονται ἢ ἀπὸ φύσιος) ἀγαθοὶ appellantur. Eius modi notio similis est vulgari, si quidem ex ea Plato Protagoram dicentem facit cives legibus educari a re publica ad praestantiam (Prot. p. 327 D sq.). Pariter fr. 148 (Δίκης καὶ ἀρετῆς μεγίστην μετέχει μοῖραν ὁ τιμὰς ἀξίας τάμνων, iustitiae praestantiaeque maximam partem obtinet, siquis meritum cuique honorem tribuit) praestantia continetur recte agendo, ita ut in unam notionem iungantur iustitia (δίκη) et praestantia. Nam Democriteo sermoni non aliena est figura, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur (cf. Birt, in Natorpii editione p. 182)[1]). Sed e fr. 44 cognoscitur philosophum hoc genus

1) In fr. 76 (κακὰ κέρδεα ζημίην ἀρετῆς φέρει) vox ἀρετὴ non in eum sensum accipienda esse mihi videtur, quo plerumque ea utitur Democritus, quoniam is, qui iniustum sibi comparavit commodum, omnino vacat praestantia; neque recte dictum esset malo incommodo aliquem ad violanda praecepta iustitiae illici, quem sensum philosophus, si fr. 44 componis, expressisset verbis:

praestantiae minoris aestimare. Itaque persuadere studet hominibus, ut cognoscant nullam rem pluris habendam esse quam honestum (cf. Natorp. p. 102 sq.), quocum coniuncta sit illa εὐθυμίη. Ergo philosophum hac re multum differre apparet a vulgari sententia, secundum quam non est excellens is, qui in rebus adversis versatur aut iniuria afficitur. Itaque e fr. 83 (πενίην ἐπιεικέως φέρειν σωφρονέοντος) concludendum est pauperem, qui honestus est, praestantiam exhibere posse. Nam aperte vocabulum σωφρονέειν non ad temperantiam solam pertinet, sed omnino ad honestatem. Contra supra commemoratum est ex Hesiodi sententia praestantiam esse divitum et a Theognide 1062 dici praestantiam occultari paupertate.

Secundum Democriti praecepta cognitio legum naturae viro ἀγαθῷ necessaria non est. Attamen in intellegentia praestantia posita est; quare verbo σοφίη apud eum quoque non significatur praestantiae pars, immo adiectiva σοφὸς et ἀγαθὸς fr. 168 eodem sensu usurpantur. Et a Xenophanis et a vulgari sententia nimirum philosophus differt, quod ad deorum numen non respicit. Vocabulo δίκη Democritus (fr. 46 et 148) iustitiam declarat, sed scilicet ne hanc quidem habet pro parte praestantiae. Pariter σωφροσύνη et ἀνδρηίη apud eum non sunt virtutes primariae, sed potius idem quod praestantia esse videntur; quae virtutes artius cohaerent, quod σωφροσύνη ea virtus est, qua usus intellegentia, et ἀνδρηίη ea, qua voluntatis vi in recto aliquis perseverat. Nam verba σωφροσύνη et σωφρονέειν non minus prudentiae quam honestatis sive temperantiae sensum accipiunt; vocabulum ἀνδρηίη vero, si componitur Democriti usus cum vulgari sententia (qua id ad virtutem in pugna exhibitam referri recte concludi videtur e Platonico dialogo, qui Laches inscribitur, et Agathonis oratione et Democriti verbis) latius patere conspicuum est e fragmento 63 Ἀνδρήιος οὐχ ὁ τῶν πολεμίων κρατέων μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονέων κρέσσων, quare suo iure fr. 44 dicit eum, qui, cum quid sit rectum

---

qui non animi iudicio impulsus recte agit, facile commodo aliquo ad iniustum committendum adducitur. Hanc sententiam alienam esse a fragmento in aperto est. Si autem fr. 76 coniungimus cum fr. 77 ἐλπὶς κακοῦ κέρδεος ἀρχὴ ζημίης (spes iniusti commodi initium incommodi) de honesto ne in illo quidem agi veri simile est. Itaque eandem sententiam hoc loco eloqui mihi videtur Democritus quam Hesiodus Opp. 352 κακὰ κέρδεα ἴσ' ἄτῃσιν. Si hanc interpretationem accipimus, statuendum est nobis Democritum in vulgarem sensum usurpare hoc loco vocabulum ἀρετή. In qua re cur offendamus non est, propterea quod ille, ut qui saepe vulgi sententiam sequatur, hic vulgarem sententiam reddere mihi videtur. cf. Soph. Ant. 326 τὰ δειλὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται. cf. ibid. 313 sq.

perspexerit, rectum faciat, fieri *ἀνδρήιον ἅμα καὶ ἰθύγνωμον* (ita Natorp) et intellegitur fr. 127 *ἀνδρηίη τὰς ἄτας σμικρὰς ἔρδει*: vir immoderatus, inquit, perit, ubi in res adversas casu incidit, at is, qui voluptatibus non superatur, non multum perdidit.

Haec *ἀνδρηίης* notio ita cum ea consentit, quam Plato Socratem commemorantem facit in eo dialogo, qui Laches inscribitur (p. 191 D), ut Plato hoc Democriti dictum (fr. 63) novisse mihi videatur, sicut multis praeterea sententiis moralibus utrumque philosophum consentire Natorp exponit p. 157 sq.

Nihilo minus ex hoc consensu concludi non potest Democritum omissa pietate notionem praestantiae in quattuor virtutes primarias divisisse, quamvis facile quaerendo de ea re haec divisio inveniri potuisset. Significat enim quattuor rationibus bonum hominem (*ἀγαθόν*), vocabulis dico *δίκαιος* et *σοφὸς* vel *εὐλόγιστος*, *σωφρονέων* et *ἀνδρήιος* (quae omnia voce *εὔθυμος* continentur). Sed nullo fragmento, ut hanc divisionem statuamus, adducimur, contra Ciceronis iudicio prohiberi videmur. At reputanti mihi omnia, quae modo exposui, in universum iudicandum esse mihi videtur Democritum uti philosopha vocabuli *ἀρετὴ* notione, dico moralem et honestum habitum.

Haec habui de vi atque usu vocabuli *ἀρετὴ* quae exponerem. In extremo libello meo si ad Homerum respicio et cum eo comparo Democritum, satis longam ut ita dicam viam notio *ἀρετῆς* apud Graecos progressa esse mihi videtur. Certe quam maxime differt praestantia eius, qui divitiis, opibus, corporis viribus inter ceteros excellit, ab ea praestantia, quam dicebant philosophi illi, hominis, qui sapientiae studet et in vita agenda philosophorum praecepta sequitur. Atque veteribus quidem temporibus, a quibus profecti sumus, proprie vocabulo *ἀρετή*, quippe quod omnino excellentiam notet, ubi de hominum praestantia usurpatur, omnino felix omnium rerum status significatur, qua notione non minus opes et robur continentur quam prudentia quaedam atque auctoritas. Iam apud Homerum non solum ad bona excellentis viri ipsius spectat *ἀρετή*, sed, ni fallor, id quoque significatur eum deos colere, comem erga alios homines esse, eis prodesse. Sic iustitia (*δίκη*) et obsequium legum moralium iam alicuius momenti sunt in epica, quam dicimus,

notione. Ac paulatim factum esse videmus, ut hae res, si cum robore et opibus componerentur, maioris momenti haberentur. Scilicet quoniam in carminibus epicis plerumque bella et pugna enarrantur, plurimi aestimatur facultas illius viri, qui se et sua tueri, ceteros vincere potest. Epicam notionem si uno verbo comprehendimus, ad corpus, opes, animum respicere atque ea re cum vulgari notione consentire, a philosopha autem differre apparet. Retinent hanc fere notionem Pindarus et Sophocles nec quidquam addunt, quod ab ea aliquantulum differat. Euripides contra non nisi eis locis eam retinet, ubi personas fabularum, quid sentiant, dicentes facit, eis autem locis, ubi quid de praestantia cogitat ipse, exponit, alteram vocis notionem intellegi vult. Hanc commutationem notionis ἀρετῆς duabus rebus effectam esse ostendisse mihi videor: nam cum propter significationem vocis fieri poterat, ut suam quisque imaginem perfecti viri ea significaret, tum condicionibus vitae mutatis sententiae morales commutatae sunt, cuius mutationis vestigia cognosci possunt mutata praestantiae notione. Ac primum quidem ea aetate non iam de bello solo cogitabant homines, sed de omnibus rebus, quae eis erant necessariae, ut de victu comparando. Neque haec res in propria notione ἀρετῆς neglecta erat, sed Homero illisque poetis, qui eum sequebantur, ut qui ab optimatibus stabant, minus necessaria esse videbatur viro ἀγαθῷ. Hesiodus autem et qui eum sequuntur, notionem ἀρετῆς referebant tum ad laborem, quo victus comparandus est, tum ad vitam, ut ita dicam, politicam et artes, quibus in ea homines ad honores adipiscendos utebantur. Itaque ἀρετὴ ei ascribitur, qui tum suis opibus studet suaque bene conservat, tum alios adiuvat ideoque apud suos auctoritate fruitur. Nimirum ii, qui in re publica versabantur, necessariam esse perfecto viro sentiebant facultatem rem publicam bene administrandi. Solo, elegiaci, sophistae confundunt hanc politicam virtutem cum ea facultate, qua suis quisque opibus bene providet. Atque boni mores utraque ratione postulabantur, cum neque civitates neque singuli sine iis florere possint. Nec corporis praestantia, opes, prudentia, honestas, auctoritas non continentur ea notione. Sed ut epica aetate eae facultates, quibus quis ἀρετῆς laudem acquirebat, ἀρεταὶ dicebantur, ita ea ipsius ἀρετῆς notione, quam vulgarem dico, facultas excellendi significatur. Apud philosophos quoque proprie omnes perfecti viri qualitates vocabulo ἀρετὴ comprehenduntur, nisi quod robur, opes, genus nobile necessaria non habentur. Apud Xenophanem enim et, ubi certius eam rem cognoscimus, apud Heraclitum vox ἀρετὴ non solum ad honestum

habitum, sed etiam ad studium philosophiae pertinet. Contra Democritus ei quoque ἀρετὴν tribuit, qui philosophiae non studet, dummodo eius mores sint utique probandi, et eum ἀγαθὸν dicit, qui per totam vitam honeste se gerit, licet non intellegentia et philosophia ad recte agendum adducatur. Ergo quoniam, quae vera sit et excellentia et felicitas, melius quam ceteri intellexit, notionem ἀρετῆς sic immutavit, ut videatur ex omnibus Graecorum et poetis et philosophis, qui fuerunt ante Socratem et Platonem, maximum progressum fecisse.

Index nominum.

Aeschylus 26.
Aristophanes 43.
Bacchylides 20, 23.
Democritus 59 sq.
Ps. Demosthenes 43.
Empedocles 59.
Euripides 20, 27 sq.
Gorgias 43, 45 sq.
Heraclitus 55 sq.
Herodotus 43.
Hesiodus 30 sq.
Homerus 13 sq. 18 sq.
Lysias 43.
Phocylides 42.
Pindarus 16 sq. 23 sq.
Plato 18, 39, 43 sq.
Prodicus 48 sq.
Protagoras 39, 49 sq.
Pythagorei 25, 53.
Simonides 17, 23.
Solo 34 sq.
Sophocles 17, 26 sq.
Theognis 37, 40 sq.
Thucydides 43.
Tyrtaeus 22, 34.
Xenophanes 53.
Xenophon 48 sq.

Vita.

Natus sum Konradus Koch a. s. p. LXXVIII Brunsvigae a. d. VIII. Kal. Febr. patre Konrado matre Margaretha e gente Wecke, quos superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus adii gymnasium patriae urbis Martino-Katharineum, cuius cum multi et boni praeceptores tum rector illustrissimus Fridericus Koldewey et pater meus, primae classis magister, summum mihi studium incitaverunt accuratius cognoscendi veterum cum poetarum tum philosophorum opera. Vere anni 1896 testimonium maturitatis adeptus Ienae civibus academicis ascriptus sum ibique per ter sex menses, tum per idem spatium Berolini, deinde per duo semestria iterum Ienae classicae quae dicitur et germanicae philologiae operam navavi.

Audivi viros doctissimos Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Liebmann, Michels, Wendt, Wilhelm Ienenses; Diels, Geiger, Helm, Muench, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, Wilamowitz Berolinenses. Ut proseminariis et seminariis philologicis et germanicis interessem, permiserunt Diels, Gelzer, Goetz, Hirzel, Michels, Wilamowitz. Diels benigne me recepit in societatem philologicam, cuius per tria semestria sodalis fui. Palaeographicis exercitationibus me docuit Goetz, archaeologicis Gaedechens et Pernice, numismaticis Pick, philosophis Paulsen.

Quibus omnibus praeceptoribus, imprimis Rudolfo Hirzel, qui summa benignitate studia mea adiuvit, gratias semper habebo quam maximas.